2

APOLOGIA

GUMMARI HUYGENS LYRANI

S.T.D. in Academia Lovanienſi

PRO

METHODO

Remittendi & Retinendi

PECCATA

ADVERSUS

Reſponſionem Brevem Authore (ut ſe vocat)

FRANCISCO CAROLO REYMAKERS

Editio Secunda.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



LOVANII,

Typis HIERONYMI NEMPÆI

Anno 1677.

PRÆFATIUNCULA

FRANCISCE CAROLE,

VIſus eſt à me Libellus tuus, in quo ad Methodum à me nuper conſcriptam reſpondere; & quæ in illa minùs tibi placent, refellere cònaris. Tantò, crede, avidiùs illum perlegi; quantò magìs exopto, ut hâc in parte Confeſſarii quilibet mecum veritatem tàm neceſſariam attingant. Candidè fateor, nihil magìs in illa reſponſione mihi placuit; quàm quod ex charitate te reſpondere dicas. Ego ùt promiſſis ſtem, ex charitate quæ dicenda erunt, reponam, & reſponſioni Veſtræ brevi hanc meam opponam. Quantum mutuis noſtris reſponſis veritas aut illuſtrata fuerit, aut evicta; judicium Lectori, iiſque omnibus, quorum intererit, lubens relinquo: neque enim volo, imò nec poſſum amplius, quàm veritatem, quantùm Deus dederit, indagare, proponere, commendare. Si quid interim inhumanitatis committere videbor, quòd inter ſcribendum

condignos non uſurpem titulos, veniam merebor, quia perſonam tuam latere maluiſti, quàm in ſcripto tuo indicare: quòd enim *Franciſcum Carolum Reymakers* te voces, nihilo magìs iſto nomine mihi innoteſcis, quàm ſi Anonymus ſcripſiſſes. Hinc ſuſpicor, nomen iſtud à te aſſumptum eſſe, ne ſcriptum tuum ſine nomine in publicum prodire videretur. Et fortè non caret myſterio, quòd te *Reymakers* voces, aut tuo in nomine *Franciſcum Carolo* præponas: quidquid id fuerit, Veritatis nihil intereſt. Confeſſarii quidem munus Reverentiam Veſtram obire inter lectitandum collegi, eapropter hoc nomine te compellabo, quod Confeſſariis hoc tempore eſt familiare.

§. Primus.

Exhibentur ex reſponſione brevi ea, ad quæ reſponſum fuit in Præfatione apologeticâ tertio Tractatui Methodi præfixâ

PUnctum I. aſſerit R. V. quòd pœnitentes nonnulli ob negatam ſibi abſolutionem querimonias apud alios Confeſſarios depoſuerint. *Pag. 6. reſponſionis brevis.*

Punct. II. Dicit R. V. quod Davidi dum ingemiſcebat *peccavi*, (dico ego, pœnitentiſſimum illud *peccavi*) reſponſum illicò fuerit à Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Conſectaneum hinc eſſe vult R. V. multô magìs conſuetudinariis, dum proferunt vocem *doleo*, impendendam eſſe abſolutionem: credit enim neminem mediocriter intelligentem dubitare, quin *doleo* ampliùs ſignificet, quàm *peccavi*. *Pag. 151. item 152.* *Pag. 152.*

Ex iis quæ alibi dicit, clarum eſt, quòd R. Veſtræ, ut Confeſſarius habeat moralem certitudinem de debitâ pœnitentis etiam perverſiſſimi diſpoſitione, ſufficiat, pœnitentem poſt fervida eloquia *Pag. 128.*

Confeſſarii *ſingultire*, dum enim plura, inter quæ hoc unum eſt, ibidem numerat V.R. concludit: " & hæc vel unum ho-,, rum ſufficere debet, ut Confeſſarius moralem habeat certitudinem &c":

Pag. 90. PUNCT. III. Apertè indicas, quòd Confeſſarius non debeat inquirere à primò vel raro ad ſe venientibus, an conſuetudinarii ſint nec ne: "Imò inquirenti ,, Confeſſario, inquis, pœnitens non tenetur ad hoc reſpondere".

Pag. 9. PUNCT. IV. Dicit R.V. quòd doctrina Methodi tamquam inſolens, nova, exotica &c. ſit repudianda: non infrequenter etiam, ſed ſparſim doctrinam Methodi aliis Confeſſariis injurioſam eſſe conqueritur, viroſque piiſſimos praxim, quæ reſponſione brevi adſtruitur, ſecutos fuiſſe affirmat.

Pag. 12. PUNCT. V. Conqueritur R.V. tamquam *neceſſarium* inculcari in Methodo, quod S. CAROLUS quodam textu pag. 49. Methodi citato velut *conſultum* proponit.

PUNCT. VI. Non unô locô inſinuatum vult, quòd doctrina S. CAROLI non habuerit ſequaces, ne in Gallia quidem.

Pag. 54. PUNCT. VII. Dicit quòd vera converſio,

verſio, quæ cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficit, ordinariè ſit repertina: toto deinde libello ſeu reſponſione ſuâ brevi hunc in modum loquitur de facilitate & promptitudine, quam habeant peccatores ad veram converſionem, ac ſi omnibus adeſſet ſemper gratia plenè & proximè ad veram converſionem ſufficiens, quod preſertim innuit in tribus paginis ſuæ Appendicis. *Pag. 161. 163. & 165.*

Punct. VIII. Aſſerit R. V. me ex SS. Patribus & Canonibus pœnitentialibus, ut ſummum habere, quòd ipſorum tempore excommunicatis & publicis peccatoribus non dabatur Communio, niſi prævià longâ pœnitentiâ, ita quidem ut illa pœnitentia abſolutionem præcedere non debuerit. *Pag. 56. & 57.*

Clariùs ſenſum ſuum exprimit alibi, *Pag. 115.*
„ Negatur, inquiens, quòd in priſca Ec-
„ cleſia tot annorum pœnitentiæ, quæ
„ dumtaxat pro publicis peccatis impo-
„ nebantur, debuerint præcedere abſolu-
„ tionem ſacramentalem, ſed benè ab-
„ ſolutionem ab excommunicatione in
foro externo & ſacram Synaxim.

Adverſum hæc omnia, quæ jam allegata ſunt, repono Præfationem apo-

logeticam, quam nuper præfixi tertio Tractatui in Methodo.

Ne mireris, Lector, quòd Præfatio illa non jungatur huic Apologiæ, quòdque in illa non ſervetur idem loquendi modus; hoc inde factum eſt, quia Præfatio iſta edita fuit antè libellum, ad quem hîc reſpondetur.

Obſervandum prætereà, quòd hæc recenſendô ille ſervatus ſit ordo, quem reſponſiones tenent in Præfatione apologetica: ita quidem, ut primo Puncto, quod ex Libello hujus Authoris hic poſitum eſt, nimirùm de querelis pœnitentium, in dicta Præfatione reſpondeatur primô locô. ſecundo Puncto, quô contenditur in conſuetudinario, ut abſolvatur, ſufficere ſi protulerit vocem *dol.o*, vel ſi poſt fervida eloquia Confeſſarii *ſingultiat*, reſpondetur ſecundô locô & ſic de cæteris. Ultimô locô in Præfatione reſponſum fuit ad ea, quæ hîc ultimô locô, id eſt Punctô octavô ponuntur de Canonibus pœnitentialibus.

§. 2.

§. II.

Ex unico Canone Concilii Toletani III. in Præfatione apologetica citato fuſiùs oſtenditur contra hunc Authorem, quòd in priſca Eccleſia tot annorum pœnitentia non fuerint dumtaxàt adimplenda poſt abſolutionem ſacramentalem.

QUòd pœnitentiæ Canonum ſolerent abſolutionem ſacramentalem antecedere, probat imprimis Canon undecimus Concilii Toletani III." Quoniam „cumperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias non ſecundùm Canones, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis „homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare lubuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent; ideò „pro coërcenda tàm execrabili præſumptione id à S. Concilio jubetur, ut „*ſecundùm formam Canonum antiquorum* detur pœnitentia: hoc eſt, ut *priùs* eum „quem ſui pœnitet facti, à communione „ſuſpenſum faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò „recurrere: expleto autem ſatisfactio-

Concil. Tol. III. Can. XI.

„ nis tempore, ſicut ſacerdotalis con-
„ templatio probaverit, eum commu-
„ nioni reſtituat: hi verò qui ad propria
„ vitia vel infra pœnitentiæ tempus vel
„ poſt reconciliationem labuntur, ſe-
„ cundum priorum Canonum ſeverita-
tem damnentur".

Duo patent ex hoc Canone: Primum quòd pœnitentia debuerit præcedere reconciliationem, quia Concilium voluit prohibere execrabilem præſumptionem, quâ quoties peccare lubebat, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulabant: voluit, inquam, cohibere, ſtatuendo ut deinceps tempus pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis *prius* impleretur, quàm daretur reconciliatio.

Prætereà notandum quòd Canon dicat: "Hi verò qui ad propria vitia, vel „ infra pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem labuntur". Notandum, inquam, ſi pœnitentia fuiſſet ſecuta reconciliationem, omnis relapſus qui contigiſſet infra pœnitentiæ tempus, contigiſſet poſt reconciliationem: atque ita fruſtraneum fuiſſet poſtremum membrum iſtius disjuncti " vel poſt reconciliationem". Ad hæc, quorsùm in dicto

dis-

disjunćto Canon mentionem priùs faceret pœnitentiæ,deinde reconciliationis, ſi reconciliatio tempore præceſſiſſet pœnitentiam ?

Alterum quod ex hoc Canone habetur, eſt, quòd Concilium iſtud doceat, hanc (quòd nimirùm pœnitentia præcedat reconciliationem) eſſe *formam antiquorum Canonum.* Quare non putem neceſſum, ut plures Canones allegem ad probandum falſitatem hujus & ſimilium aſſertorum ab Authore Reſp. Brevis: „Negatur, quòd in priſcâ Eccleſiâ tot *Pag.* 115. „annorum pœnitentiæ debuerint præce- „dere abſolutionem ſacramentalem": Item ex Canonibus pœnitentialibus ad ſummum habetur, quòd ipſorum tempore non dabatur Communio, niſi præviâ *Pag.* 56. longâ pœnitentiâ: & addit: Ita quidem ut illa pœnitentia abſolutionem præcedere non debuerit.

Quiſquis hunc Canonem attentè legerit, non mirabitur quòd unicum allego. Certè non difficile eſſet allegare plures; ſed quid opus eſt, cum unus ille teſtetur pro mille, dum illo jubetur *ſecundùm formam Canonum antiquorum ?*

Non poſſum hîc etiam præterire, quòd

Pag. 56. quòd ita loquatur, ac ſi nulli Canones pœnitentiam præſcripſerint pro foro interno, aut pro peccatis occultis. Undè quæſo, iſtud hauſit? Quod hujus rei in Canonibus veſtigium? Non ſatis eſt ad primam Canonum inſpectionem iſtud arripere & pronuntiare, quod præconceptæ favet opinioni. Etenim quòd Canones etiam pro foro interno pœnitentias ſtatuerint, docet jam citatus: Quòd pro occultis peccatis à Canonibus præſcriptæ fuerint pœnitentiæ ſaltem occultæ, clarè oſtendit Canon in Præfatione apologetica citatus: " Si Clericus „ aut Laicus concupiſcit fornicari, pœnitens erit annos duos". Quòd amplius eſt, numquam R. V. oſtenderit, quòd olim non fuerit impoſita pœnitentia publica etiam pro criminibus occultis. Vide Method. Tract. II. q. 7. dub. 3. object. 1.

Dixerit adhuc Reverentia Veſtra, quòd Canones pœnitentiales tantùm præſcripſerint pœnitentias pro foro externo: addat ſi auſit, quòd ſolùm pro peccatis publicis. Aſſerat inſuper ſine nota imperitiæ, quòd pœnitentiæ dumtaxàt debuerint peragi poſt abſolutionem ſacramentalem. Si tamen circa hoc poſtremum

mum necdum ſat perſuaſus ſit Author, inſpiciat pontificale, ubi leget quid ſtatutum fuerit de reconciliatione pœnitentium feriâ quintâ in Cœna Domini: de reconciliatione, inquam, poſt ſolemnem pœnitentiam totâ Quadrageſimâ peractam. An fortè pontificale culpabis? An Canones? An qui his inſiſterunt Eccleſiæ Præſules? An ipſam Eccleſiam argues, quòd peccatorem perceptâ voce, *doleo*, aut *ſingultientem* non illicò abſolverit? Nullumnè illo tempore erat moriendi periculum, prout adversùs Methodum toties exaggeras? Nihilnè periculi erat, quando baptizabantur olim Cathechumeni Sabbatô Sanctô dumtaxàt & Vigiliâ Pentecoſtes? Mirum, ſi non culpes unà omnes omninò caſuum reſervationes: Quid enim, ſi intereà temporis, quo ad ſuperiorem longiùs fortè diſtantem recurrendum eſt, quiſpiam moriatur?

§ III.

§ III.

Cauſæ ob quas in prædicta Canonum doctrinâ nonnullos errare contingit.

NOn multis opus foret; ut probarem primam omnium in hâc doctrinâ errorum radicem eſſe; quòd Theologi illi, qui pœnitentias plùs æquô relaxant adverterint infinitam propemodùm diſtantiam eſſe inter ſuum agendi modum & illum quem Canones exhibent legenti non præoccupato. Hinc factum eſt, ut tantam diſtantiam ferre nequeuntes, vel à nimia ſua laxitate recedendum judicarent, vel Canones ad ſuam laxitatem eſſe inflectendos. Ne prius fieret, impediebant multa: ſed an rectè? Poſterius igitur factum eſt; quia etſi minùs verè, magis tamen commodè.

Simili ex radice pullulârunt tot deplorandæ opiniones, quas Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes vocat, & damnat Alexander VII. Maluerunt illarum opinionum authores Euangelium & Patres ad ſe inflectere, quàm illorum rectitudini incur-

incurvatos mores accomodare : cum equidem ſine violentia id fieri nequeat, Scripturæ aut Patrum lectio parùm admodum ipſis placet.

Peculiaris cauſa iſtius circa doctrinam Canonum erroris, de quo impræſentiarum controvertitur, hæc eſt, quòd nomine *communionis* à qua Canones arcent, vel cui reſtituunt peccatores, putetur nihil poſſe intelligi aliud, quàm ſola communio Euchariſtica. Quam parùm, qui ita ſentiunt, in Canonum cognitione verſati ſint, abundè patet ex Canone Concilii Toletani allegato. Huic duos adjiciam, unum ex Concilio Elibertino: ex Ancyrano alterum. Qui ex Elibertino, ſic habet :" Prohibendum, ne qua fidelis vel „Catechumena aut comicos, aut viros „ſcenicos habeat ; quæcumque hoc fecerit à *communione* arceatur". Quid ad hæc ? Dicetne R. V. illic non intelligi, niſi communionem Euchariſticam? Non equidem reor : novit quippè, quòd uti catechumenæ numquàm potuerunt eſſe participes communionis Euchariſticæ, ita quoque nullo umquàm tempore ob crimen potuerint ab hâc arceri.

Concil. Elibert. Can. 67.

Canon ſeptimus Concilii Ancyrani hæc

Concil. Ancyr. Can. 7. hæc habet : " De his , qui in feſtis die-
„ bus paganorum in remotis eorum locis
„ conviviis interfuerunt , & ſuas nihilo-
„ minùs epulas ibidem portaverunt ,
„ placuit ut poſt biennii pœnitentiam
„ ſuſcipiantur , ita tamen ut utrum aut
„ cum oblatione recipiendi ſint , an ad
„ ſolam *communionem* admitti debeant,
„ unuſquiſque Epiſcoporum examinet
vitam eorum". Hîc manifeſtè tria hæc,
Pœnitentia , *Communio* , & *receptio oblationis* ab invicem diſtinguuntur ; nec
minùs apertè ſignificatur , quòd *Communio* ſit quid minus *receptione ad oblationem* ; intellige *receptionem* eorum ,
quæ à fidelibus Altari offerebantur : at
indubiè *Communio Euchariſtica* multò eſt
excellentior , quàm iſta *oblatio*. Procul igitur abſunt à genuino Canonum
intellectu, quicumque unicam dumtaxat
in Canonibus intelligunt *communionem*,
eamque Euchariſticam.

Si quis adhuc dubitet , rursùs audiat
Concilium Ancyranum : " Hi autem
Concil. Ancyr. Can. 8. „ qui ſecundò vel tertiò ſacrificaverunt
" vi coacti , quatuor annis ſeſe ad *pœnitentiam* ſubmittant , duobus autem
„ aliis ſine *oblatione communicent* , ſep-

timo

„ timo anno perfectionem recepturi communionis". Haud equidem diffiteor quin communio Euchariſtica etiam nomine communionis appelletur; at quòd ſola illa, prorsùs nego; imò nomine communionis videmus ſubindè intellectum fuiſſe aliquid minus non tantùm communione Euchariſticâ, ſed ipsâ etiam reconciliatione: hoc docemur à Canone Concilii Elibertini ſuprà citato, niſi quis aſſeruerit Catechumenam aliquando fuiſſe admiſſam ad abſolutionem ſacramentalem.

Manet proindè exploratum & apud Theologum & apud quemcumque Canonum indagatorem; quòd in Canonibus nomine communionis non intelligatur ſola communio Euchariſtica. Si igitur malus hìc intellectus de communione fuerit tibi cauſa antedictorum errorum circà Canones, vides jam, ſpero, quomodo cum ipſo ſuo fundamento corruant, quæcumque illi ſuperſtruxiſti.

Alia circa Canones erroris cauſa quibuſdam eſſe poteſt, quòd ubi Canones loquuntur de admiſſione ad pœnitentiam; ita admiſſionem illam interpre-

tandam eſſe putent, ac ſi olim Patres, quoſcumque admittebant ad pœnitentiam, etiam ad ſacramentalem abſolutionem illicò impendendam admiſiſſent. Abundè quidem ex jam dictis patet; quàm erroneus ſit ejuſmodi Canonum intellectus: Si prætereà tamen probationem aliam cupis, ecce hanc: nemo dixerit quòd Diaconi ſacramentalem abſolutionem ulli umquam pœnitentium, quâcumque demùm neceſſitate ingruente impenderint: At de Diaconis conſtat, quòd ipſi quandoque (poſtulante id neceſſitate) peccatores ad pœnitentiam admiſerint. ,, Occurrendum puto fratribus noſtris (inquit ,, S. Cyprianus) ut qui libellos à marty- Epiſt. 13.
,, ribus acceperunt, ſi infirmitatis peri-
,, culo occupati fuerint, non expectent
,, præſentiam noſtram, quin apud Preſ-
,, byterum quemcumque præſentem,
,, vel ſi Presbyter repertus non fuerit,
,, & urgere exitus cœperit, apud *Dia-*
,, *conum* quoque exomologeſim facere
,, delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœ-
,, nitentiam impoſitâ veniant ad Domi-
,, num cum pace, quam dare martyres eis deſideraverunt". Numquid ex hoc

S. Cy-

S. Cypriani teſtimonio certiſſimum eſt, quòd Diaconi ſubindè aliquos manu ipſis impoſitâ ad pœnitentiam admiſerint? Quis proindè adhuc dubitet, quin antiquis non eadem fuerint, ad pœnitentiam peccatores admittere; & eoſdem admittere ad ſacramentalem abſolutionem?

Hi potiſſimùm ſunt fontes illi; è quibus proficiſcitur, quod quidam dixerint; ad ſummùm haberi ex SS. Patribus & Canonibus pœnitentialibus, quòd ipſorum tempore excommunicatis & publicis peccatoribus non dabatur communio, niſi prævià longâ pœnitentiâ, ita quidem, ut illa pœnitentia abſolutionem præcedere non debuerit. Dicit hoc R. V. ut patet ex Puncto octavo Paragraphi primi hujus Apologiæ: ubi etiam exhibuimus hanc ſubſequentem veſtram ſententiam: " Negatur quòd in priſcâ „Eccleſiâ tot annorum pœnitentiæ, quæ „dumtaxat pro publicis peccatis impo„nebantur, debuerint præcedere abſolu„tionem ſacramentalem, ſed benè abſo„lutionem ab excommunicatione in foro externo & ſacram Synaxim". *Reſponſ. brevis pag. 115.*

Quòd in his R. V. à vero canonum

intellectu aberraverit, ſatis jam conſtat:
Quænam verò errorum iſtorum cauſa fuerit, non perindè mihi notum eſt. Quare tibi ipſi examinandum relinquo, an omnes tres cauſæ jam recenſitæ locum habuerint, an forte ſola prima.

§. IV.

Perceptâ hâc de canonibus doctrinâ, facilè colligitur, quid patres; qui SECUNDÙM FORMAM CANONUM ANTIQUORUM *ſacramentalem abſolutionem impenderunt, cenſuerint de abſolutione impendenda ſuper iis peccatis, quæ Canonibus perſtricta fuerunt.*

NOn negabit, credo, Reverentia Veſtra, quòd, quamdiu in Eccleſia multis ſæculis Canones pœnitentiales ſervati fuerunt, nullam habeat ſimilitudinem veri, quòd illi ipſi Patres, qui *ſecundùm formam Canonum antiquorum* apud ipſos tunc vigentium ſacramentalem abſolutionem impenderunt, cum R. V. cenſuerint adulteros, fornicatores, ac præſertim in his peccatorum generibus multos etiam annos pertinaciſſimè obduratos, ad ſacramentalem abſolutio-

lutionem admittendos fuiſſe ſine prævia notabili vitæ mutatione; quòdque primâ etiam vice ad ſe accedentes illicò ſacramentaliter abſolverint, ſimul atque protuliſſent vocem *doleo* aut *ſingultiſſent*. Et hæc quidem ſub ipſo Canonum rigore. An fortè dicemus illos ipſos, qui *ſecundùm formam Canonum antiquorum* dabant pœnitentiam, foviſſe illud, quod Concilium Toletanum vocat execrabilem præſumptionem & antiquis Canonibus planè contrarium?

Hæc ſola, puto, ſufficiunt ad refutandum illa omnia, quæ vel Author vel quiſcumque alius allegare umquam poterit, ut ſtabiliat illam praxim, quâ etjam adulteri & fornicatores etſi in criminibus iſtis fœdiſſimè computruiſſent, nihilominùs ſine notabili mutatione vitæ præviâ ordinariè judicantur eſſe abſolvendi.

Allega proindè ex dictis Patribus, quos lubet, pro tua explicatione iſtius Scripturæ Mat. 18. *Non dico uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties,* numquam probaveris illos tecum ſenſiſſe de abſolutione adulterorum, fornicatorum &c. niſi fortè dixeris, quòd illorum quiſpiam ho-

minem ſepties in die adulterantem, ſepties eodem etiam die abſoluturus fuiſſet. Quàm parum (ſi tamen ullo modo) ab hac prodigioſa & execrandâ abſolutionis præcipitatione R. V. aliena ſit, ſuô locô hâc in Apologia examinabitur; illam intelligo abſolvendi praxim, quâ ſepties in die adulterans, ſepties eodem die abſolveretur.

Audet nihilominus R. V. pro ſua praxi allegare quoſdam ex prædictis Patribus; ipſum etiam S. Auguſtinum. An fortè ſibi perſuadet Auguſtinum fuiſſe prævaricatorem Canonum? Vel in Africâ, vivente Auguſtino, non viguiſſe Canones? Audiat, quæſo, ipſum Auguſtinum: „ Agunt etiam homines „ pœnitentiam, ſi poſt Baptiſmum ita „ peccaverunt, ut excommunicari, & „ poſteà reconciliari mereantur. Sicut „ agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui pro„ priè pœnitentes appellantur .... „ Eſt etiam pœnitentia bonorum & hu„ milium fidelium penè quotidiana, in „ quâ pectora tundimus dicentes: *Dimitte nobis debita noſtra &c.*

Epiſt. 108. ad Seleucian.

Verùm quidem eſt, S. Cyprianum de ſeipſo fateri, quòd in delictis nimiâ facilitate

litate remittendis propèmodùm deliquerit, undè fortaſſis accidit, ut R. V. Virum tantum ſuæ praxi favere exiſtimaverit; ſed quantus ſit hic error tuus, abundè oſtendet unica S. Cypriani Epiſtola. "Scripſiſtis, inquit, fratres cha- Epiſt. 53.
„ riſſimi, quod cum in Capſente civitate
„ propter ordinationem Epiſcopi eſſetis,
„ pertulerit ad vos nuper frater & col-
„ lega noſter, Ninum, Clementianum
„ Florum, fratres noſtros, qui in perſe-
„ cutione apprehenſi priùs fuerant, &
„ nomen Domini confeſſi violentiam
„ Magiſtratûs, & populi frementis im-
„ petum vicerant, poſtmodùm cum
„ apud Proconſulem pœnis gravibus ex
„ cruciarentur, vi tormentorum ſub-
„ actos eſſe, & de gradu gloriæ, ad
„ quam plenâ fidei virtute tendebant,
„ diuturnis cruciatibus excidiſſe: nec
„ tamen poſt hunc gravem lapſum, non
„ voluntate, ſed neceſſitate ſuſceptum,
„ à pœnitentia agenda per hoc trien-
„ nium deſtitiſſe: de quibus conſulen-
„ dum putaſtis, an eos ad communica-
„ tionem jam fas eſſet admittere. Et qui-
„ dem quantum ad mei animi ſenten-
„ tiam pertinet, puto his indulgentiam

„ Domini non defuturam, quos conſtat
„ ſtetiſſe in acie, nomen Domini confeſ-
„ ſos eſſe, violentiam Magiſtratuum &
„ populi furentis incurſum immobilis
„ fidei obſtinatione viciſſe, paſſos eſſe
„ carcerem diu inter minas Proconſulis
„ & fremitum populi circumſtantis, tor-
„ mentis laniantibus, ac longâ iteratio-
„ ne cruciantibus repugnaſſe; ut quod
„ in noviſſima infirmitate carnis ſub-
„ actum videtur, meritorum præceden-
„ tium defenſione relevetur & ſit ſatis
„ talibus gloriam perdidiſſe, non tamen
„ debere nos eis, & veniæ locum clau-
„ dere, atque eos à paterna pietate, &
„ à noſtrâ communicatione privare, qui-
„ bus æſtimemus ad deprecandum cle-
„ mentiam Domini poſſe ſufficere, quòd
„ *triennio jugiter ac dolenter*, ut ſcribitis,
„ *cum ſummâ pœnitentiæ lamentatione planxe-*
„ *runt.* Certè non puto, incautè & te-
„ merè his pacem committi, quos vidi-
„ mus militiæ ſuæ fortitudine, nec priùs
„ pugnæ defuiſſe, & ſi acies etiam de-
„ nuò venerit, gloriam ſuam poſſe repa-
„ rare. Nam cum in concilio placuerit,
„ pœnitentiam agentibus in infirmitatis
„ periculo ſubveniri, & pacem dari, de-
bent

„ bent utique in accipienda pace præce-
„ dere, quos videmus non animi infir-
„ mitate cecidiſſe; ſed in prælio congreſ-
„ ſos & vulneratos, per imbecilitatem
„ carnis confeſſionis ſuæ coronam non
„ potuiſſe perferre: maximè cum cu-
„ pientibus mori non permitteretur oc-
„ cidi, ſed tàm diu feſſos tormenta la-
„ niarent, quàmdiu non fidem, (quæ
„ invicta eſt) vincerent, ſed carnem, quæ
„ infirma eſt, fatigarent. Quoniam ta-
„ men ſcripſiſtis, ut cum pluribus colle-
„ gis de hoc ipſo pleniſſimè tractem, &
„ res tanta exigit majus & impénſius de
„ multorum collatione conſilium, &
„ nunc omnes ferè inter Paſchæ prima
„ ſolemnia apud ſe cum fratribus demo-
„ rantur, quando ſolemnitati celebrandæ
„ apud ſuos ſatisfecerint, & ad me ve-
„ nire cœperint, tractabo cum ſingulis
„ pleniùs, ut de eo, quod conſuluiſtis, fi-
„ gatur apud nos, & reſcribatur vobis
„ firma ſententia, multorum Sacerdo-
tum conſilio ponderata".

Unuſquiſque hinc videt, quam im-
meritò R. V. pro ſe citârit S. Cypria-
num, quandoquidem vir ille vix auſus
fuerit pacem ſeu reconciliationem dare

 illis,

illis, qui in perſecutione apprehenſi plurima tormenta prius ſuſtinuerant, & tandem non voluntate, ut loquitur, ſed neceſſitate lapſi fuerant. S. Cyprianus de illis loquitur, qui *triennio jugiter, ac dolenter cum ſumma pœnitentiæ lamentatione planxerant* & de *pace* ipſis poſt tantam tamque diuturnam pœnitentiam *committendi* cum pluribus collegis pleniùs tractare & majus impenſiuſque de multorum collatione conſilium in horum reconciliatione expoſcit. Palpari jam poteſt, quantùm à Cypriano diſtas, dum adulteros & fornicatores conſuetudinarios tantâ facilitate & celeritate judicas eſſe abſolvendos.

S. Chryſoſtomum pro te citas, ſed eſtne veroſimile, quod ille in adulteris & fornicariis abſolvendis egerit contra Canones? Non inficior, quod contra Novatum nonnulla dixerit, quæ aliqui rapiunt ad ſuam laxitatem; ſed audiant, quid dicat præfatus Sanctus: " Dies quadraginta animi ſanitati tribuis, & forſtaſſe non totidem, & tibi placatum propitiumque fore Deum ſperas? Jocaris, quæſo, cum hæc dicis"?

Homil. ad verb. ſponte peccantibus. Perionio interp.

§. V.

§. V.

Cauſæ ob quas in doctrina SS. Patrum nonnullos errare contingit circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

RUrſus poſſem hìc primò locô allegare cauſam illam, cujus mentio facta eſt tertiô hujus apologiæ paragraphô, quòd nimirum Theologi illi, qui pœnitentias plus æquò relaxant, maluerint SS. Patres ad ſe inflectere, quàm ad illorum rigorem doctrinam ſuam accommodare.

Altera cauſa eſt, quòd contra Novatum & Novatianum Patres unanimiter docuerint in Eccleſia eſſe poteſtatem remittendi peccata poſt Baptiſmum admiſſa, nec ſemel duntaxât, ſed ſæpiùs remittendi.

Tertia, quòd docuerint peccatori non eſſe deſperandum etiam poſt plurima & graviſſima, quæ perpetraſſet, flagitia.

Quarta, quia aſſeruerunt Deum omnes peccatores verè, atque, ut oportet pœnitentes ingratiam recipere, paratum eſſe. Hæc verò quid faciunt ad patro-

cinandum opinioni Authoris, quam §. I. hujus Apologiæ puncto ſecundo ex ejus Reſponſione brevi commemoravi? Nihil prorsùs.

Poſſem quoque his cauſis annumerare aliam, quòd nonnulli doctrinam Sanctorum Patrum dimidiatô aut mutilatô textu legant, velut accidit, dum fragmenta aliqua in Decreto Gratiani non recurrendo ad fontes & levi oculo percurruntur.

Satis ex iis, quæ anterioribus Paragraphis ex Canonibus & Patribus adducta ſunt, patet à SS. Patrum mente quàm maximè eſſe alienum, quòd duo illa, ac ſi eadem eſſent, confundantur, admittere ſcilicet ad *pœnitentiam*, & admittere ad *abſolutionem*. Tuo proindè examini committo, an ea, quæ Patres de admittendo ad *pœnitentiam* pronuntiant, non rapueris ad impertiendam mox *abſolutionem*.

§. VI.

§. VI.

Reſpondetur ad illa, quæ Author reſponſionis brevis allegat de Sanctis recentioribus.

VT Author praxim ſuam jam ſæpiùs deſcriptam ſtabilire poſſit, ſuas in partes trahere conatur ſanctos quoſdam recentiores: ex. gr, SS. Philippum Nerium, Vincentium Ferrarienſem, Franciſcum Xaverium &c. Saleſium omitto, quia de hoc ſigillatim infrà.

Non inficior, vixerunt illi poſt primævum Canonum rigorem: verùm quis nobis dicet, quid illi in arcano iſto tribunali egerint? Quod operoſa planè ſolicitudine pœnitentes direxerint, abundè conſtat: quare probè ſcio illos non fuiſſe de numero eorum, quos S. Carolus acriter perſtringit his verbis: " Manifeſtum eſt hâc in parte Confeſſarios incuriâ ſuâ maximam præbere cauſam, cur in omnibus ferè opificiis & exercitationibus publicis peccata graviſſima inveniantur & abuſus intollerabiles". Illos verò cauſam hanc præbere aſſerit, qui ſecùs agunt, quàm agendum eſſe illic docet his verbis: "Qui *Inſtruct. Paſtor. cap. 17.*

qui-

„ quidem (Confeſſarius) hominem eô „ modô conſtitutum abſolvere non de- „ bet, ſi exiſtimat ad eadem peccata re- „ diturum, quamdiu in antiqua occaſio- „ ne, (officio ſcilicet, opificio vel alio ne- gotio) perſeverat".

Tria in hujus rei elucidationem obſeruanda exiſtimo: primum quidem, quod adeò nota fuerit prædictorum virorum ſanctitas, ut magni peccatores illos accedere auſi non fuerint, niſi inſigniter converſi, vel animo valdè prompto, ut ab iis diſcerent, exciperentque media, quibus ad converſionem ſeſe diſponerent.

Secundum, quòd hi Sancti ſuâ pietate eâ apud homines valuerint authoritate, ut ſi forsàn imparati ad confitendum accederent, hi ipſorum monitis mox lubentes obtemperarent, vel obloqui ſaltem non auderent, atque ita illa ipſa quæ S. CAROLUS facta deſiderat, ab ipſis ſine magno ſtrepitu peragi potuerunt, & fortè peracta ſunt.

Poſtremum eſt, quòd Dominus Deus ob ſingularem illorum ſanctimoniam, copioſam precibus functionibuſque ipſorum benedictionem ac gratiam annexuerit, quà velut alii hæreticos ad fidem,

dem, ita ipſi peccatores ad pœnitentiam excitare, & permovere magno cum fructu valuerint.

Quod ad S. Saleſium attinet, compertum habeo, quòd illi verbum *doleo* aut quod *ſingultiant* in perverſiſſimis peccatoribus non ſuffeciſſet; aliàs enim S. CAROLI zelum & ſolicitudinem paſtoralem non laudare uti fecit, ſed condemnare potiùs debuiſſet. Poſſem ex S. Saleſio varia producere adverſum R. V. atque inter hæc quòd in ebrioſis non ſolummodò requirat emendationis propoſitum, ſed etiam propoſitum *ſummum*, neque duntaxàt peccata, ſed etiam ipſaſmet cauponas relinquendi; quòdque in ſuâ introductione cenſeat confeſſiones ordinarias eorum, qui vivunt vitam communem & vulgarem, plenas eſſe magnis defectibus.

At hiſce nihil immoraturus ſum: etenim S. Saleſius vel hac in parte S. CAROLO aſſentit, vel ab eo diſſentit. Si illi conſentire dixeris, ſufficiet nobis S. CAROLUS, de cujus mente luculentiora ſuppetunt teſtimonia: ſi diſſentire putes, rogo ne moleſtè feras, ut ſicut & Clerus Gallicanus, doctrinam

S. CA-

S. Caroli potiùs amplectamur, ſi quidem tuâ ipſius ſententiâ utrique adhærere nequimus. Vis hujus mei conſilii rationem? Hæc eſt: divina providentia S. Saleſium deſtinavit, ut amabili illâ lenitate ad gremium Eccleſiæ hæreticos alliceret & reduceret; fuitque illud potiſſimum opus, ob quòd vir ille ſuaviſſimus à Domino Deo in mundum miſſus eſt: hinc etiam ſtupendum hæreticorum numerum Eccleſiæ aſſociavit: aſt de S. Carolo secùs Deo viſum fuit; illum quippe ad depravatos peccatorum mores emendandos, atque ad conſtituenda quædam pœnitentiæ inſtaurandæ initia Deus Eccleſiæ ſuæ præfecit. Huic fini opportuna Deus S. Carolo præbuit ſubſidia, nimirùm ab admirabili ſanctitate ac morum gravitate, ab Eccleſiaſtica dignitate, à ſæculari nobilitate, ab opum amplitudine, atque à ſanguinis conjunctione cum ſupremo Eccleſiæ Præſule Pio IV. Pont. Max.

Rem per aliud exemplum declaro: demus, quòd cujuſdam judicio in argumento de gratia non ſat conveniret Auguſtinum inter & Chryſoſtomum, quis ægrè ferat, quòd eô admiſſô potiùs Au-

guſtino quàm Chryſoſtomo ſubſcribendum dicam?

Pariter ſi cui videretur S. Martyr Lucianus paulò aliter de SS. Trinitate locutus fuiſſe aut ſcripſiſſe, quàm S. Athanaſius, procul dubio arripienda foret Sancti Athanaſii ſententia, quòd ipſum Deus ad hujus myſterii explicationem ac defenſionem ſingulari quâdam providentiâ elegerit. Quare concludo, FRANC. CAROLE, ſi tuâ opinione à S. FRANC. SALESIO diſſideat CAROLUS BORROMÆUS; neminem mihi poſſe meritò ſuccenſere; quòd Carolum Franciſco præponam, id eſt, quòd pro ſalute tot animarum in hac pœnitentiæ doctrinâ, ea quæ S. CAROLUS in tot ſynodis ſancivit, præponam paucis illis, quæ de hâc ipsâ materia è Saleſio adferentur.

Spero, quòd hæc non ita intelliges, quaſi dubitarem an ullus Sanctorum recentiorum, quos allegaſti, praxim tuam exercuerit aut docuerit. Tuam voco praxim, quam §. 15. in antitheſi inter doctrinam S. CAROLI & tuam deſcripturus ſum. Neque enim vel ſpeciem apparentiæ habet, quòd prædictorum ullus vel alius quiſpiam Sanctus ſic practicaverit,

verit, aut ſic practicandum eſſe docuerit. Poſſem varia allegare, quæ hoc perſuaderent, ſed illis recenſendis ſuperſedebo, ne quæſtionem juris videamur facere quæſtionem facti; quod ſolent facere ii, qui minus juris habent.

Non eſt, cur mireris, Lector, quòd Author Reſp. brevis conetur in ſententiam ſuam adducere Sanctos illos, qui de praxi illa vel nihil vel parum admodùm ſcripſerunt, quandoquidem non erubeſcat SS. Cyprianum, Auguſtinum, alioſque qui ſervârunt Canones pœnitentiales, citare pro praxi ſua abſolvendi ſine prævia mutatione vitæ conſuetudinarios in adulteriis, fornicationibus, &c.

Quod de recentioribus Sanctis, qui hanc rem non ita tractârunt, dicere non vereris, nonnè pari fundamento de iis diceres, quòd approbarint opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas & animarum perniciem inferentes, quia contra illas non ſcripſerunt? Imò de iis ipſis Confeſſariis, quos modo impugnas, diceretnè quis rectè poſt centum annos, quòd tuâ praxi uſi fuerint, quia contrarium de illis non legeretur? Nonnè etiam de ipſo Carolo id modò diceres, niſi

ſcripta

ſcripta ſua poſteris reliquiſſet ? Quid dico? Ipſum CAROLUM pro te citare audes, non obſtante, quòd praxim ſuam toto cælo à tua diſtantem & ſcriptis & Synodis ſtabiliverit.

Hoc mirari ſatis numquam poteros Nonnè pari jure poſſet quiſpiam pro Arianis citare Athanaſium ? Pro Pelagianis Auguſtinum? Imò nonnè eâdem ratione poſſem & ego ſcriptum tuum, quod hic refello, pro mea ſententia citare & Reverentia Veſtra etiam pro ſua Methodum ipſam, quam impugnat?

Aſt quô veritatis colore pro te cites CAROLUM, palàm faciet antitheſis inter doctrinam Sancti CAROLI & tuam, quam ſub ſpeciali titulo Lectori ob oculos ponam ſub finem hujus Apologiæ, ut vel ex ea ſola cunctis pateat, quomodo doctrina tua S. CAROLO diametraliter opponatur.

§. VII.

Oſtenditur, quomodo legendi ſint illi Authores, qui præter antedictos in Reſponſione brevi allegantur.

IN reſponſionis brevis confirmationem nonnulla citantur ex Alexandro Halenſi, Godeſchalco Roſemont, Navarro, & Bonacina: commendatur præterea Toletus: At hic cujus eſt editionis? Prima namque à poſterioribus diſcrepare dicitur. Ad hoſce, & ſi quos alios iſtius generis Authores citaveris, Reſpondeo me credere, quod Lectoris non tantopere interſit, quid Authores iſtiuſmodi hac in re cenſuerint, quàm quid veritati congruentius ſit: etenim Lector ſi vel mediocriter peritus fuerit, novit non ideò recipiendum aliquid tamquam verum, quia ab his aut aliis iſtiuſmodi Scriptoribus aſſeritur; cum multis ſat notum ſit quàm doctè olim S. Auguſtinus, & poſt illum dixerit S. Thomas: " Solis eis " Scripturarum libris qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum Authorem eorum, ſcri-

S. Aug. epiſt. 19. ad Hieron.

„ ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè „credam : alios autem ita lego, ut quantâlibet ſanctitate doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt". Hinc non temerè conjicio fore, ut multi reſponſionem tuam lecturi dicant, ita ſe legere Navarrum, Bonacinam, Toletum alioſque iſtius generis Authores, ut non ideò verum putent, quia ipſi ita ſcripſerunt. *D. Thom. 1. p. q. 1. art. 8. ad 2.*

Quæres, quid de Methodo à me conſcripta? Quantum poſſum, quemcumque ejus Lectorem rogo, ut hoc SS. Auguſtini & Thomæ ſpiritu, tàm Methodum, quàm hanc pro ipsâ Apologiam legat videatque, num ea, quæ trado, conformia ſint Scripturæ ſacræ, Apoſtolorum traditionibus & claræ rationi ſeu luci mentium. Nullum proindè locum habet, quod mihi objicis, quaſi ſolus ſapere vellem, aut non eſſe ſicut cæteri hominum.

Videt itaque Reverentia Veſtra, quomodo Authores hoc paragrapho nominatos, & mea quoque ſcripta legenda cenſeam. An fortè de Authoribus iſtis aliud eſt Reverentiæ Veſtræ judicium? Id ſanè videtur, quandoquidem toties,

&

& tam importunè mihi Navarrum obtrudat: non crediderim equidem, quòd in verba illius ita juraveris, ut verum putes, quidquid ille dixerit. Ex. gr. de homicidio ſic habet: "Ex quo interebamus, quòd ſi ille, quem alius aggreditur, non poteſt abſque ſuo dedecore fugere, non tenetur id facere: & ſi nón poteſt vitare vulnus aut alapam, quam ſibi alter molitur impingere (niſi ipſum occidendo) poteſt ipſum occidere".

Manual. cap. 15. num. 4.

Pariter me terrere putas, judicem mihi conſtituendo Bonacinam: ſed appello ab hujus tribunali, quia Author ille cenſet: "Judicem in dijudicando partium jure, ſeu in ferenda ſententia poſſe, quam maluerit opinionem probabilem ſequi, ſaltem quando opiniones ſunt utrimque æquè probabiles ex parte juris".

De pecc. diſput. 2. queſt. 4. punct. 9. num. 13.

"Addo, inquit, poſſe modò juxta unam & modò juxta aliam opinionem judicare ſecluſô ſcandalô".

Ibidem

Prætereà habet ut ſequitur: "Probabiliter etiam exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem". Tu Lector judex eſto, an

Ibidem.

ab

ab hujus tribunali immeritò appellaverim.

Intercà Reverentiæ Veſtræ expendendum relinquo, an Decalogo & Eccleſiæ præceptis ſat cautum erit, ubi tanta licentia ſequendi ſententiam, quam vocant, probabilem conceſſa fuerit. Etenim ſi hæc judici liceant, ubi partium jura ponderanda ſunt: quid in probabilitate ſequenda licebit hominibus in rebus privatis? Nec enim hodie difficile adeo eſt, in cupiditatis ſuæ favorem comperire unum alterumvè Scriptorem, quem ipſi habeant, ut doctum & probum; quin & plures, ſi opus eſt, non difficulter invenient.

Periculum quod ab ejuſmodi principiis imminet, augetur hoc tempore à petulantiâ illâ ingeniorum, quam notat Alexander VII. in ſuo Decreto, quod habet: " Sanctiſſimus Dominus noſter *Anno 1665.*
„ audivit non ſine magno animi ſui mœ-
„ rore, complures opiniones Chriſtianæ
„ diſciplinæ relaxativas & animarum
„ perniciem inferentes, partim antiqua-
„ tas iterum ſuſcitari, partim noviter
„ prodire: & ſummam illam luxurian-
„ tium ingeniorum licentiam indies ma-

 gis

„ gis excreſcere, per quam in rebus ad
„ conſcientiam pertinentibus modus o-
„ pinandi irrepſit alienus omninò ab
„ Euangelica ſimplicitate, ſanctorumque
„ Patrum doctrina, & quem ſi pro recta
„ regula fideles in praxi ſequerentur,
„ ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ
„ corruptela. Quare ne ullo unquam
„ tempore viam ſalutis, quam ſu-
„ prema veritas Deus (cujus ver-
„ ba in æternum permanent) arc-
„ tam eſſe definivit, in animarum per-
„ niciem dilatari, ſeu veriùs perverti
„ contingeret, idem Sanctiſſimus Pater
„ noſter ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi
„ ſpatioſa lataque, per quam itur ad
„ perditionem, viâ, pro paſtorali ſollici-
„ tudine, in rectam ſemitam revocaret,
„ earumdem opinionum examen pluri-
„ bus in S. Theologiâ Magiſtris, & de-
„ indè Eminentiſſ. & Reverendiſſ. DD.
„ Cardinalibus contra hæreticam pra-
„ vitatem generalibus Inquiſitoribus ſe-
riò commiſit„. Quæ ſint illæ opiniones
vide in illius Decreto.

Ne tamen ſubterfugere tibi videar, alia citando præter ea, quæ mihi objicis, jam eò venio, atque imprimis ad illud quod

quod è Navarro allegas: "Quod rectè ,, faciunt multi Sancti Confeſſarii abſol- ,, vendo multos adoleſcentes, qui ver- ,, ſantur inter mulieres emendo, ven- ,, dendo, laborando & converſando abſ- ,, que cohabitatione earum in eâdem ,, domo, licet non ſtatuant abſtinere ſe ,, perpetuò ab occaſione peccandi, quam ,, id ipſis præbet, quamvis ſæpiùs pec- ,, cent voluntate, verbis aut tactibus im- ,, pudicis, & etiam copulâ, quia occaſio ,, quæ ex hoc præbetur ad peccandum, ,, non eſt ex ſe peccatum mortiferum, ,, neque ejuſmodi, ut *ferè ſemper* faciat peccare mortaliter eos, qui eâ utuntur". Reſponſ. brevis pag. 24.

Alterum adducitur ex Bonacina: "Quartò illum artificem, qui in omni confeſſione accuſat ſe de fraudibus ,, & mendaciis commiſſis in arte, quam ,, exercet, & quam non poteſt abſque ,, notabli incommodo ſui vel familiæ de- ,, ſerere, poſſe abſolvi modò eliciat do- ,, lorem de peccatis præteritis, cum fir- ,, mo propoſito non committendi am- ,, pliùs cum Dei auxilio ejuſmodi pec- ,, cata, & modo habeat aliquam cauſam ,, rationabilem non dimittendi illam artem". Reſponſ. brevis pag. 26.

Hæc ex Navarro & Bonacina allegas contra Methodum: admitto lubens, quòd hæc Methodo opponantur, & Methodus illis. Tu modò viciſſim mihi admitte, quòd hæc ex Navarro & Bonacina à te allegata non conſiſtant cum illis Chriſti Domini ſententiis: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & projice abs te, &c.* Et *ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eam &c.* At, inquies, occaſiones iſtæ ex Navarro & Bonacina per accidens tantum ſcandalizant: quid indè? Non dicit Chriſtus, ſi ſcandalizat per ſe, aſt illimitatè ſi ſcandalizet.

Math. 5.

Quid enim admodùm intereſt hujus perſonæ, dum in impudicitiam ruit, vel in injuſtitias mortaliter peccaminoſas, & inde in æternam fortaſſis damnationem, an hæc ab occaſione per ſe, an ab occaſione per accidens contingant? Vide Tractatum III. quæſt. 1. dub. 1. & 2. in Methodo: ubi deſcribitur occaſio per ſe, quæ ob communem infirmitatem nata eſt homines ad peccatum mortale trahere: & occaſio per accidens, quæ non ob communem hominum infirmitatem, ſed ob ſingularem hujus aut iſtius indiſpoſitionem ſpeciatim nata eſt

hunc

hunc illumve trahere in mortale peccatum.

Oſtenſum ibidem fuit, quòd S. CAROLUS directiſſimè, & ex propoſito doceat, ejuſmodi occaſiones per accidens debere reſcindi: ſed R.V. ex Caſuiſtis ſuis, quos me audire jubet & revereri, non ſolùm docet prædictas occaſiones per accidens, non eſſe vitandas, verùm ex ipſis inſuper allegat, quòd concubina nequidem poſt confeſſionem ſit dimittenda, ubi tamen Carolus eam cenſet eſſe dimittendam, & quidem ante confeſſionem. Ex Bonacina allegatur quod ſequitur: " Secundò colligi poteſt filium- *Reſponſ. brevis pag. 25.*
,,familias, qui de domo patris non expel-
,,lit concubinam, vel aliam, cum quâ
,,peccare ſolet, poſſe abſolvi, modò ha-
,,beat firmum propoſitum non peccandi
,,amplius in futurum, & non ampliùs
ſolum cum ſola verſandi." Dicis quoque Navarrum aſſerere," quòd poſſint ab- *Reſponſ. brevis pag. 96.*
,,ſolvi ſine ſeparatione cognatæ, ancillæ
,,ac famulæ, quæ rem habuerunt cum
,,ſuis conſanguineis, dominis, vel heris, in
,,quorum domo degunt concurrentibus
,,quatuor prædictis (ſcilicet conditio-
,,nibus) quarum quarta eſt cauſa notabi-

„ tabilis, ob quam ſine magno incom-
„ modo hoſpitium negari non poteſt.
„ Eſt tamen quæſtio notabilis, an pote-
„ runt abſolvi prædictæ iterum ſine
„ ſeparatione, ſi reciderint. Et videtur
„ nobis poſſe concurrentibus prædictis
„ quatuor; & idem dicendum reor de
„ tertia & quarta vice, quia non ſolum
„ ſemel aut ſepties, ſed etiam ſeptua-
„ geſies ſepties eſt parcendum". Sic ille.

Hæc ex prædictis Authoribus nobis producis, & quidem tamquam propoſitiones doctrinales, indefinitas & univerſales, ac veluti regulas, quas ſervare oporteat, aut ſaltem liceat. Has regulas dicis. Adverſari meæ Methodo; perlubens admitto: adjungis, eſſe conformes praxi communi & uſitatæ. Quantum Eccleſiæ opprobrium affingitur! abſit ab ea quæ indeſinenter nobis inculcat Evangelium, & in eo: *Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum &c. .... Quod ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide &c.* Abſit, inquam, ut contra Evangelium foveat Eccleſia, ut propter incommodum aliquod temporale, tot tantorumque peccatorum

Matth. 5.

mor-

mortalium ſcandala non reſcindantur?
Avertat Deus à ſponſa ſua illud dedecus & perniciem, unde ſequeretur fœdiſſima peccata minùs vitanda eſſe, quàm temporalia incommoda.

§. VIII.

Refelluntur reſponſa Authoris ad loca Scripturæ ſacræ in Methodo allegata.

EXimenda eſt tibi opinio, qua laboras circa teſtimonia ex ſacris Litteris in Methodo allegata Tract. I. quæſt. 4. hoc titulo: *Loca ſcripturæ ſacræ, quæ docent veram converſionem non acquiri tanta celeritate & facilitate, quanta hodie vulgo creditur.* Quantum colligo, videtur R. V. exiſtimare, ſententias à me adductas, nihil probare pro Methodo, quod te putas oſtendere, refutandô potiſſimum duas: at quàm parum fundatè, mox apparebit. Cæterum univerſa illic citata, dum ſimul ſumuntur, firmiùs inprimunt ideam, quę homini perſuadeat, quòd converſio non fiat tam ſubitò, quàm hodie vulgo creditur: in quem modum q. 4. dub. 4. arg. 1. eodem Tractatu de teſtimoniis SS. Pa-

trum

ctrum fui locutus, dum ſimiliter omnia ſub unico titulo allegaveram.

Reſponſ. brevis pag. 42.

"Unam, inquis, Scripturam inta- „ctam relinquere non poſſum, quæ „magnam mihi parit admirationem": Scripturæ ſententia è S. Luca cap. 14. petita eſt: *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habet ad perficiendum, ne & c...... Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hanc ſententiam putas neminem intellexiſſe, uti ego illam interpretor; omnibus ſcilicet à Chriſto Domino eſſe dictam: illud ergo eſt, quod tantam tibi parit admirationem, quaſi ſolis Religioſis, qui ad conſilia Euangelica ſeſe adſtringunt, competat eſſe Chriſti diſcipulos: ſi adhuc mirari pergis, dic conſequenter quòd odiſſe uxorem & filios competat illis, qui ſervant conſilia Euangelica, & quidem quòd iis ſolis id competat, ſiquidem ex ipſo textu patet, quòd ſimilitudo de turri Euangelicâ adducatur ad ſtabiliendum, quòd Chriſti diſcipulus debeat odiſſe (id eſt, obſervantiæ mandatorum Dei poſt-ponere) uxorem, filios, &c. Viſnè pari-

tet

ter quod in eodem textu habetur, ſolis Religioſis dictum eſſe: *Qui non bajulat crucem ſuam & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus?*

" An non tibi videntur, quæſo (cum „ Baſilio loquor) matrimonio etiam „ conjunctis lata fuiſſe Euangelia? „ Animadvertis itaque apertè, jam tibi „ explanatum fore, ut à nobis cunctis, „ quicumque in hâc vitâ ſumus ratio „ repoſcatur, utrum Euangelio paruc- „ rimus nec-ne: non à monachis modò, „ ab his etiam qui uxores habuerimus: „ etenim qui conjugio ſeſe implicuerit, „ huic ſatis fuerit ſi incontinentiæ ipſi culpa remittatur; & feminæ libido &c".

Baſilius de abdicatione rerum parum poſt init.

" Reliqua verò mandata, cum æquè „ deſcripta omnibus ſint, non eſt extra „ periculum, quicumque adversùs ea „ fecerit, ſiquidem Chriſtus ipſe cum „ Patris ſui præcepta promulgaret, „ apud eos loquebatur, qui in mundo „ communem vitæ morem ſequeban- „ tur. Quod ſi contigit aliquando, ut „ ſeorſim interrogatus ipſe diſcipulis „ aliquid reſponderit, apertè ipſis teſti- „ ficatus eſt, *quod vobis dico, omnibus di- „ co.* Et pergit S. Baſilius alloquendo

homi-

„ hominem conjugio implicatum ? non „ eſt igitur, quamobrem tu, qui ad uxo„ rem applicare animum maluiſti „ (perindè quaſi ea re tibi mundum „ amplecti icitum ſit) deſidiæ te des; „ quando eô majore tibi labore con„ tendendum eſt; attentioreque animi „ utendum vigilantiâ ut ſalutem inve„ nias: veluti qui ſedem tibi in mediis la„ queis, mediâque rebellium poteſtatum „ ditione delegeris, ubi peccatorum aſſi„ duè ante oculos poſita irritamenta ha„ beas; ad quæ concupiſcenda om„ nes ſenſuum tuorum libidines loco ve„ luti emotæ impellantur. Quocirca in„ telligere debes neutiquam efficere te „ poſſe, quin cum diabolo tibi ſit delu„ ctandum, ex eoque nullo modo victo„ riam te ſine multis laboribus pro „ Euangelicorum præceptorum conſer„ vatione ſuſceptis reportaturum. Quî „ enim, quæſo, pugnam cum adverſario „ poteris ſubterfugere, qui omninò ſis „ jam cum eo intra caveam pugnæ deſti- natam concluſus" ?

Fateor equidem, quòd à nonnullis ſimilitudo de turri Euangelicâ ad vitam Apoſtolicam vel ſtatum Religionis ap-

plice-

plicetur, ne quis videlicet temerè iſta ſuſcipiat, at iſtud accommodatio eſt, non ſcopus ejus litteralis.

Adhuc tentabis nobis perſuadere per *turrim Euangelicam* ſolum intelligi perfectionem Religioſam? Pergeſnè ſenſum accommodatitium pro genuino & litterali ſenſu nobis obtrudere? Quamquam hoc mirum ſit & S. Textui contrarium; *Reſponſ. brevis pag. 42.* nihil tamen magis admirandum, quam quod ita loquaris, ac ſi omnes SS. Patres atque interpretes tecum ſentirent. Aliud profecto docet S. Auguſtinus: "Turrim, inquit, illam ædificare, & *Lib. 2. quæſt. Euang. quæſt. 31.* " contra regem illum dimicare, eſſe diſcipulum Chriſti eſt". Neque datur effugium dicendo, quod ſoli obſervantes conſilia Euangelica hîc vocentur diſcipuli Chriſti; contrarium namque patet ex Auguſt. qui ſub initium quæſtionis hujus ſatis colligitur pro iiſdem habere diſcipulos Chriſti & populum Chriſtianum: *Lucæ 14. v.26.27. & 33. Mat.10. v.37.38.* hoc etiam quam maximè conformè eſt Scripturæ ſacræ, quæ in his & ſimilibus locis per Chriſti diſcipulos ſemper intelligit omnes veri nominis Chriſtianos. Pro explicatione item *turris Euangelicæ*, vide Auguſt. epiſt. 89. ad Hilarium.

D Poſſem

Poſſem & alios tum Patres tum Interpretes allegare: ſed nihil opus, quia ſcopus S. Scripturæ ſatis innoteſcit ex ipſius contextu: qui etiam clarè ſignificat, quod hic ſermo non ad ſolos Apoſtolos aut ad eos qui vocantur Septuaginta duo diſcipuli dictus ſit, ſed ad turbas multas.

Luc. 14. *v.* 25. Pariat igitur Reverentiæ Veſtræ admirationem, non pariat: omnibus qui Scripturæ ſacræ lectioni ſe dedunt certo manebit perſuaſum, quod *turris* illic non deſignet ſolam perfectionem Religioſorum, veluti aſſeris. *Reſponſ. brevis pag.* 42.

Inter eas quas è Scriptura ſacra allegaveram ſententias, fuit & hæc: *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ecce enim hoc ipſum ſecundùm Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium &c.* *2. Cor.* 7.

Viſus tibi eſt hic locus minimè omnium probare; at ſuſpende parumper judicium. Apoſtoli ſcopus fuit ex effectibus oſtendere, quanti æſtimanda ſit *pœnitentia* quam operatur *triſtitia quæ eſt ſecundùm Deum*: neque ſolum id oſtendere intendit de iſta *ſecundùm Deum triſtitia*, cujus ipſe Corinthiis cauſa fuerat ob excommunicatio- *Reſponſ. brevis pag.* 41.

cationem inceſtuoſi, at locutione hac indefinita & generali oſtendit, quàm fructuoſa ſoleat eſſe *triſtitia, quæ eſt ſecundùm Deum.* Hos fructus *triſtitiæ ſecundùm Deum* enumerat Apoſtolus *ſollicitudinem* corrigendi errores, *defenſionem &c.* ſi igitur tam facile eſt in peccatoribus conſuetudinariis (quales à nonnullis abſolvuntur) acquirere illam; quæ in ipſis eſſe deberet, *triſtitiam ſecundùm Deum?* ubi illius fructus? Ubi, inquam; fructus illius *triſtitiæ ſecundùm Deum* in illis conſuetudinariis, quos prolatâ voculâ *doleo*, ſemper mox abſolvendos cenſes? Malè itaque cenſuiſti de hoc loco Scripturæ, ſicut & de illo: *facite fructum dignum pœnitentiæ!* nam uti ex fructibus arbor, ita quoque ex fructibus pœnitentia ſolet dignoſci.

Perperam quoque me arguis, quaſi doctrina Methodi fundaretur in iſtis verbis, *in ſalutem ſtabilem*: nuſquam enim in Methodo leges, quod in iſtis verbis facta vis ulla fuerit.

Vis amplius? Sola hæc verba *quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam operatur*, ampliùs quàm tu putes ad rem noſtram conferunt, etſi reliqua quæ Apoſtolus addit, ſubticerentur. Si namque *triſtitia quæ*

ſecundùm Deum eſt pœnitentiam operatur; efficit verè pœnitentes: poſſum autem è PP. evidentiſſimè probare; quod qui illorum judicio ſunt verè pœnitentes, totô cœlo ab iis diſtent; quos tu pœnitentium loco habes, dum tibi ſufficit ut poſt inumerá ſcelera ad fervidá Confeſſarii eloquia *ſingultiant.*

Ægerrimè fers, quod dixerim ordinariè non eſſe verè converſos, qui & ſtatim & toties in eadem poſt abſolutionem

3. *part.* crimina relabuntur: Quo igitur animo
qu. 20. feres doctrinam S. Thomæ, qui aſſerit:
art. 4. "Plerumque pœnitentes cautiores, hu-
ad 4. „ miliores, & ferventiores reſurgunt",

quam nimirum ſint innocentes? Si mea dicta in admirationem te rapuerunt, ad hæc, credo, obſtupeſces: ſed majori profecto ſtupore perculſus fuiſſet S. Thomas, ſi ad hanc ex doctrina tua illationem. "Ergo ſi aliquis ſepties in die redeat ad Confeſſarium cum peccato „ adulterii, homicidii, aut ejuſmodi enormis flagitii", debebit ipſum abſolvere; audiret Reverentiam Veſtram reſpondentem in hæc verba: deberet toties eodem die abſolvi: Verum, inquies, iſtud non aſſerui. Non diffiteor, hoc in terminis

à te non aſſeri, interim ſi placet animum advertere, volens nolens debebis iſtud juxta tua principia aſſerere; idem dico de quocumque alio tuis hiſce principiis inhærente. Sufficit enim Reverentiæ Veſtræ, ut ejuſmodi peccator habeatur converſus, ſi *ſingultiat*, ſi proferat voculam *doleo*. Quapropter ad antè dictam illationem nîl aliud, quam hoc reſpondere potuiſti: "Ad abſurdam illationem dico, ſi „hic Author nobis poſſet oſtendere mo- „raliter fieri poſſe, ut quis ſepties per „diem adulterium faciat, vel ſimile fla- „gitium, & toties verè doleat de peccato „ſuo, reſpondebo ipſum toties eſſe abſol- „vendum". Nec datur effugium per hanc rimam, *ſi toties verè doleat*, nam ejuſmodi peccator ſatìs probatur tibi verè dolere de peccato, ſi toties *ſingultiat*, vel voculam *doleo* enuntiet. Hoccinè eſt de arcta cœli via cum Chriſto ſentire? Hoccine eſt de laborioſo pœnitentiæ baptiſmo Patribus ſuffragari? Si ita ſe res habet, non ampliùs dicat Euangeliſta: *Regnum cœlorum vim patitur.* Si tam facilis eſt converſio, non ultra dixerit S. Petrus: *Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Si illa ad ejuſmodi flagitioſorum con-

Reſponſ. brevis pag. 185. & 186.

1. Pet. 4.

converſionem ſuffi-iant, conticeſcat Au-
Hom.41. guſt. dicens: "Pœnitentes, pœnitentes, „pœnitentes, ſi tamen eſtis pœnitentes, „& non eſtis irridentes, mutate vitam". Scio quòd iſta tibi diſpliceant, pergit equidem Auguſtinus: "Si pœ„nitens es, pœniteat te: ſi non pœnitet, „pœnitens non es. Si ergo pœnitet, cur „facis quod malè feciſti? Si feciſſe pœ„nitet, noli facere: Si adhuc facis, certè non es pœnitens". Si ullus huic ſententiæ locus eſt, in illo ſanè erit, qui ſepties uno die adulterans, ſepties eodem die pœnitentem ſe diceret. Non omnes igitur, quotquot tribunal Confeſſarii accedunt, dicendi ſunt pœnitentes, ac ſi nullum inter *confitentes* & *pœnitentes* foret diſcrimen: neque omnes illos Tridentinum *pœnitentes* vocat, dum adverſum Novatianos docuit, ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti, ut per ſacerdotum ſententiam pœnitentes abſolvantur, additque *non ſemel*, ſed *quoties* ab admiſſis peccatis ad ipſum *pœnitentes* confugerint, poſſe liberari. Quo igitur colore doctrinam Concilii Tridentini doctrinæ Methodi opponis?

Reſponſ. brevis pag. 17.

Scio, malles tibi adduci Authores

quoſ-

quoſdam recentiores : ecce tibi è Societate JESU R. P. Recupîtum Neapolitanum, Belgas enim & Lovanienſes ſuſpectos habes. Hic Pater ex multitudine recidivorum probat paucitatem electorum ; verba ejus ſunt : "Omnis pœni-
„ tentia ficta reprobationis eſt ſignum :
„ ſed recidivatio reducitur ad pœniten-
„ tiam fictam, ergo recidivatio reproba-
„ tionis eſt ſignum ; & ſic recidivi re-
„ cenſendi ſunt inter reprobos. Major
„ patet ex allatis tractatu præcedenti
cap. 5. "Minor probatur ex Patribus.
„ Ambroſ. in 2. ad Corint. cap. 2. pœ-
„ tentia vera eſt ceſſare à peccato : ſic *Ambroſiaſter.*
„ enim probat dolere ſe, ſi de cætero de-
„ ſinet : ergo à contrario pœnitentiæ
„ falſæ ſignum eſt, & ficti doloris, ſi de
„ cætero non deſinat. Auguſtinus ſer-
„ mone 1. de pœnitentiâ & jejunio : Irri-
„ ſor, inquit, eſt non pœnitens, qui ad-
„ huc agit, quod pænituit, & peccata
„ non minuit, ſed multiplicat. Hoc au-
„ tem de iis etiam, qui pœnitentiam a-
„ gunt cum lacrymis, ſed iterando pec-
„ cata, pronuntiat Fulgentius lib. 1. de
„ remiſſione peccat. cap. 12. ubi non-
„ nulli, inquit, ſcelerum ſuorum conſi-

 dera

„ deratione perterriti pro iniquitatibus
„ ſuis in oratione gemunt, nec tamen
„ &c. Recensîto deinde ſub nomine Fulgentii teſtimonio, concludit Recupitus:
" Ex hoc argue, quid dicendum de iis, qui ſunt ſine lachrymis recidivi".

Huic conſonat, quod ait Baronius ad annum Domini 253. n. 79. ubi enarrat ea quæ Clerus Romanus de lapſis ſcribit S. Cypriano, inter quæ ſunt hæc: " Eo-
„ rum autem, quorum vitæ finem ur-
„ gens exitus dilationem non poteſt fer-
„ re, actâ pœnitentiâ & profeſsâ fre-
„ quenter ſuorum deteſtatione facto-
„ rum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fle-
„ tibus dolentis ac verè pœnitentis ani-
„ mi ſigna prodiderint, cum ſpes vivendi
„ ſecundùm hominem nulla ſubſtiterit,
„ ita demùm cautè & ſollicitè ſubveniri;
„ Deo ipſo ſciente, quid de talibus faciat,
„ & qualiter judicii ſui examinet pon-
„ dera; nobis tamen anxiè curantibus,
„ ut nec pronam noſtram improbi homi-
„ nes laudent facilitatem, nec verè pœni-
„ tentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem".

Apud Cyprian, Epiſt. 31.

Non eo fine hæc allego, ut etiam hodie cum moribundis iſto rigore agendum cen-

tenſeam: patet quippe ex tertia Appendice tertii Tractatûs, quàm procul ab eo diſtem: At ſcopus eſt adducere, quæ ante-dictis verbis Cleri Romani de ſuo ſubjicit Baronius: „Quam ergo parum, „inquit, tuta, quamque dubia ſit illa „feſtinanter exhibita reconciliatio etiam „petentibus eam cum lacrymis, dicta nuper ſententia declarabit". *Ad An. num. 253. num. 79.*

Quæ hîc de recidivis attuli, velim, Lector, non ſic accipias, ut adverſentur iis, quibus in Methodo Tract. I. dub. 2. q. 3. oſtendimus, relapſum non ſemper eſſe ſignum infallibile in ſufficientis converſionis, quamquàm valdè frequenter converſionem ſuſpectam reddat.

Ignoſces mihi, ſi reſponſiones tuas ad alia Scripturæ ſacræ loca hîc examinandas non judicem, tum quia brevitati ſtudeo, tum quia refutato reſponſo ad loca, quæ cæteris imbecilliora videbantur patet, quàm facilè refelleretur objectio adverſus illa, quæ te judice plus virium habent.

§. IX.

Refelluntur reſponſa Authoris ad ea, quæ ex Patribus & Conc. Trid. ſunt allegata in Methodo Tract. 1. quæſt. 4. dub. 4. argu. 1. & poſt arg. 5.

Reſponſ. brevis pag. 56. AD loca SS. Patrum arg. 1. allegata Reſpondes me ad ſummum ex iis habere, quod ſub ipſorum tempora excommunicatis & publicis peccatoribus non dabatur communio, niſi præviâ longâ pœnitentiâ, ſic quidem ut illa pœnitentia abſolutionem præcedere non debuerit. Per tranſennam hîc quæro: quomodò excommunicati permanente excommunicatione poterant abſolvi ſacramentaliter? Apparenter fabricabis novam definitionem excommunicationis, quæ tuo circa Canones errori magìs quadret. Sed ad alia: numquid clarè hîc denuò detegis errorem tuum in Canonum cognitione, quem Paragrapho ſecundo hujus Apologiæ oſtendere conati fuimus.

Seſſ. 14. cap. 8. Ex Tridentino allegaram ſequentia: " Sanè & divinæ juſtitiæ ratio exigere „ videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipian-

„ cipiantur, qui ante baptiſmum per ig„ norantiam deliquerint; aliter verò „ qui ſemel à peccati & dæmonis ſervi„ tute liberati, & accepto Spiritus ſancti „ dono ſcientes Dei templum violare, & „ Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint". Quibus ſubjunxi: hinc SS. Patres multò majorem diuturnioremque præparationem atque pœnitentiam à pœnitentibus ante abſolutionem, quam ante Baptiſma à Catechumenis poſtulabant. E quibus ſequelam feci: quid mirum igitur, ſi conſuetudinarios non ſolere poſt Baptiſmum repentè converti, ex iis univerſis concludamus? Ad hæc R. V. reponit, quæ hic ſpecies conſequentiæ: Dicitque me confundere converſionem cum ſatisfactione; æſtimat enim pœnitentias illas & labores, quæ Patres exegerunt nullatenus ad converſionem, ſed merè ad ſatisfactionem ab ipſis fuiſſe impoſita. *Reſponſ. brevis pag. 73.*

Reſpondeo conſequentiam eſſe admodùm bonam: nam Patres non requiſierunt talia merè ad ſatisfactionem. Iterato dicam: neque tu, neque tui ſimiles umquam oſtenderitis Patres ea ad

ſatis-

ſatisfactionem dumtaxat requiſiiſſe; unde liquet quod non merè, ut contendis, ob ea quæ abſolutionem ſequuntur, Patres & ex illis Tridentinum pœnitentiam vocarint laborioſum baptiſmum.

De Baptiſmo cap. 18. Hoc intelligens Cardin. Bellarminus hanc ipſam Concilii doctrinam adversus noſtri temporis hæreticos Patrum omnium authoritate confirmat, "qui ſemper, inquit, peccantibus poſt Baptiſmum graviſſimos labores impoſuerunt, *antequam eos reconciliarent*". Numquid enim tum potius poſt abſolutionem, quam ante illam fuiſſent iſtæ pœnitentiæ peragendæ, ſi merè ad ſatisfactionem fuiſſent requiſitæ? Hoc enim tuo ipſius judicio ad ſatisfactionem legitimam longè magis profuturum ipſis fuiſſet. Vide latius præfationem Apologeticam.

Nec eſt, quod aliquos à doctrinâ Methodi deterreas, quaſi mea foret ſententia, quod Confeſſarii hodie debeant perindè ac olim Canonum rigori inſiſtere. *Reſponſ. brevis pag. 56.* Vis, ut tales (ſic de me loqueris) peccatores duram & longam ejuſmodi pœnitentiam agant, antequam ipſis miſericorditer impendatur ſacramentalis ab-

ſolu-

ſolutio. Ubi, precor, hunc in modum concluſi è teſtimoniis Patrum à me allegatis? Sequentia, ſi benè attendas, inde concluſi "nimirum quod conſuetudi- Methodus pag. 77.
„narii & inveterati eâ ordinariè non
„convertantur celeritate ac facilitate,
„quantâ converſos putat opinio quam oppugno". vide fin. arg. 1. Non enim concluſi, veluti abs te arguor, at hoc modo: "Quid mirum igitur, ſi conſuetudinarios „non ſolere poſt Baptiſmum repentè „converti ex iis univerſis concludamus"? Vide pag. 85. Exciderantnè tibi vel non legeras, quæ habentur in præfatione Methodi in hæc verba: "Avocaret forſan aliquos ab hac Methodo, quod ri„gorem veterum Canonum pœniten„tialium hic revocari ſuſpicabuntur, niſi „hanc Lectori ſuſpicionem abundè eximeret attenta illius lectio. His addebam: „Ubi tamen legeris quædam pietatis & „pœnitentiæ exercitia ante abſolutio„nem exigi, hæc eò fiunt, tum ut per „ea ad converſionem diſponantur, tum „ut illorum converſio ex iis velut effe„ctibus & ſignis innoteſcat". Longè diverſa igitur dictorum meorum eſt ratio ab eâ, quæ mihi imponitur, eſtque illa

potiùs

potius quæ habetur Hypotheſi 4. id eſt ; „ quod non liceat adminiſtrare Sacra- „ mentum , dum materia eſt verè dubia ; „ quamquam alia haberi nequeat, niſi tam „ irreverentiæ periculum , quàm alia in- „ de ſecutura incommoda , juſta excuſet „ neceſſitas. Undè illum de cujus ſincero „ dolore vel propoſito meritò dubitatur, „ abſolvere citra neceſſitatem nequaquam licet ". Talia igitur poſtulo ; quæ dubium de ſincero dolore & propoſito , poſſint prudenti Confeſſario abſtergere.

Neque tamen volui hæc intelligi de quocumque dubio , ſed de dubitatione ejuſmodi , qualem vir prudens (ubi de alterius conſcientia agitur) in re iſta conſiderare debet. Non eſt proinde , quod quiſquam mihi objiciat , nos de noſtra ipſorum converſione numquam habere certitudinem omnimodam , ac proinde minùs habere de alterius : nam lubens fateor , non opus eſſe certitudine illa omnimoda.

Ut illa dubitatio excludatur , aliquando longiori , aliquando breviori tempore opus eſt ; non rectè igitur me redarguis , quaſi ego in pœnitentibus generaliter requiram , ut per longum tempus

pus & diuturnas pœnitentias probentur. Quidam enim pœnitentium prima etiam vice ſufficienter oſtendunt ſe eſſe converſos: in quibuſdam morâ opus eſt, & quidem ſubindè majori, ſubindè minori: Non dubito tamen, quin dubio iſti auferendo haud ſufficiant, quæ tibi ſufficere ſatis oſtendiſti. Undè hac in parte me longiſſime à te diſtare palam profiteor.

Scriptum tuum pervolvens adverto, quòd plus ſatis exhorreſcas ad diſciplinam veteris Eccleſiæ: auſim ego dicere quòd ſi adeò Concilium quoque Tridentinum ab illa exhorruiſſet, numquam dixiſſet, " ſe in concedendis Indulgentiis „ moderationem juxta veterem & pro- „ batam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupere". Si quæras, cur ita? *Ne nimiâ*, inquit, *facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur.* Non faciunt quidem hæc directè ad rem noſtram; ſed adjicere volui, ut te liberarem ab horrore tuo. *Seſſ. 25. de Indulgent.*

Attende quæſo, an Eccleſiaſtica diſciplina magis enervari queat, quàm *facilitate iſtâ*, quæ à Reverentia Veſtra tum quoad feſtinandam abſolutionem, tum quoad pœnitentias leves injungendas toto penè veſtro libello inculcatur.

Præcipuus Methodi ſcopus eſt (ut toties dicta repetam) & illius finis: ob quem allegavi Scripturas, Patres, Canones, ſimilitudines & argumenta reliqua, ut per iſta oſtenderem; quod Confeſſarius non poſſit prudenter judicare; diſpoſitionem conſuetudinariorum ſibi ordinarie ſatis probari per illum agendi modum, qui hodie à multis ſervatur, & à Rev. Veſtrâ defenditur.

§. X.

Refelluntur reſponſa Authoris ad ſecundum Methodi argumentum, quo oſtenſum fuit veterem conſuetudinariorum voluntatem non ſolere repentè exui, atque unâ indicantur illâ, quæ in conſuetudinariis & recidivis obſervanda, ut citiùs aut ſeriùs abſolvantur.

QUô doctrina Methodi magis ſuſpecta redderetur, illa quæ ego de exuenda veteri conſuetudinariorum voluntate aſſerui, Rev. Veſtra de conſuetudine ipſa interpretatur, & conſuetudinem accipit, pro ipſa propenſione ſeu

Pag. 57.

pon-

pondere, quod poſt converſionem etiam ſolet inuitis adhærere, & conſuetudinarios ſollicitare ad antiqua peccata. Aſt hoc tantum menti meæ adverſatur; quantum ejuſmodi pondus ſeu inclinatio diſcrepat ab ipſa voluntate ſeu affectu ergà objectum peccati. Quòd præfata inclinatio ſeu pondus debeant eſſe exuta, numquam à me dictum fuit: quòd voluntas iſta exuenda ſit, oſtendi inter cætera ex converſione Auguſtini: in quo voluntas vetus & nova tot annorum ſpatio conflixerunt, priuſquam nova veterem expulit.

In argumento tertio à me dictum fuit, quòd non ſoleat à conſuetudinariis ſubitò acquiri voluntas nova, id eſt, voluntas abſoluta & firma ſeu non vacillans peccato mortali renuntiandi, cuilibet ſcilicet & in perpetuum &c. Quin illa poſſit ſubitò à Deo infundi, nihil vetat: *Deus enim ſubvenire poteſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ inſuperabiliter & indeclinabiliter agatur*, atque etiam ſubitò, modò velit *rebelles ad ſe compellere voluntates*: quòd tamen Deus in conſuetudinariis hoc ſubitò facere ſolitus ſit, & in Methodo negavi, & etiamnùm nego. Neque *Method. Tract. I. quaſt. 4.*

 enim

enim voluntas, quæ ad veram converſionem requiritur, tàm imperfecta eſt quàm Rev. Veſtra exiſtimat: ſiquidem requiritur voluntas abſoluta & firma ſeu non vacillans obſervandi Dei præcepta in re gravi, omnia quidem & in perpetuum; jam verò Euangelium quàm multa & quanta exigit ab omnibus, qui volunt eſſe Chriſti diſcipuli? Videri hìc poteſt, quod in Methodo Tract. II. quæſt. 7. dub. 7. argum. 2. de idea vitæ Chriſtianæ diximus: legi item poteſt teſtimonium S. Baſilii, in quo ad oculum apparebit, quàm multa Chriſtus ab omnibus requirat Chriſtianis.

Quandoquidem igitur vetus illa in conſuetudinariis voluntas interdum citiùs & faciliùs, interdum difficiliùs ac tardiùs exuatur; & nova pariter in quibuſdam convertendis citiùs, in quibuſdam ſeriùs acquiratur, prorsùs convenit ab una parte expendere illa, ex quibus longiori morâ opus eſſe judicetur, & ab altera parte ea, ob quæ brevior mora ſufficit.

Pro dilatione abſolutionis in conſuetudinariis, ſeu ut illis diutiùs abſolutio differatur, faciunt ſequentia: ſi peccandi conſuetudo ſit magìs radicata: ſi major

ſit

ſit peccatorum gravitas: ſi duratio longior: ſi tenacior adhæſio ad peccata, ut in venereis; provenit quandoque etiam adhæſio ab indole, à ſexu, à ſtatu, ab officio. Non parùm etiam facit, ut abſolutio differatur diutiùs, quòd peccator de iſtis peccatis à Confeſſario monitus fuerit, neque tamen reſipuerit: quòd tentatio ad illa peccata non fuerit gravis, nec inſolita. Sicuti etiam frequentatio ſacrilega Sacramentorum non mediocriter auget culpam, ita cæteris paribus majorem exigit dilationem.

Ut abſolutio minùs diu differatur, faciunt omnia ea, quæ jam dictis ſunt contraria: ut dum minor eſt peccatorum numerus; dum gravitas non tanta, dum conſuetudo brevior: ſi minor adhæſio, ſi non fuerit de illis peccatis commonitus, quòd tentatio fuerit gravior aut prævideri non potuerit. His adde, quòd peccatorum iſtorum malitia hactenus non fuerit ſat nota.

Pro minùs diuturna dilatione, duo præ reliquis obſervanda ſunt. Primum quidem, quòd relapſus contigerint poſt ſedulò adhibita media contra pravam inclinationem, & contra alia ſive interna ſive externa ad peccatum illicientia.

Secundum, ſi heroicus quidam actus poſt notabilem demum luctam, contra pravam inclinationem præſtitus fuerit: ut ſi poſt diuturnam pugnam cùm ſeipſo quis tandem ſponte ſuâ concubinam domo ejecerit. Signis bonis etiam annumerandum eſt; ſi adſit magna ſollicitudo de remediis; ſi gravem ac duram medicinalem pœnitentiam lubens acceptet.

Hæc equidem non eo fine dicta ſunt, quaſi ubi aliquod eorum habetur, quæ pro minùs diuturnâ dilatione facere diximus, mox impendenda ſit abſolutio. Etenim, ut impendatur (juſtâ ſcilicet neceſſitate ſepoſitâ) debent eo uſque probare ſigna, ut prudenti Confeſſario non ſuperſit ampliùs juſta dubitandi ratio de pœnitentis ſincero dolore & propoſito. Quid in neceſſitate agendum, in Methodo dictum fuit, in quarta ſcilicet Hypotheſi, in ſecunda Appendice ad 3. Tract. & alibi.

Fortaſſis erunt, qui dum hæc legent, rem totam confectam eſſe putabunt, modò abſolutionem differant, etſi dimiſſis nihil præſcribant. Aliter prorsùs ſe res habet; etenim dilatio nudè conſiderata non tantoperè ad veram converſionem diſponit; ſed idcircò adhibenda eſt dilatio, ut pœ-

nitens eà durante, mediis à Confeſſario tanquam Medico ſpirituali præſcriptis utatur, ut vitia contrariis virtutum actibus intereà expellat, ut occaſiones externas reſcindat, ac pravis ſuis inclinationibus medeatur, ut congrua pietatis exercitia peragat, ut Fidei, Spei, Charitatis, deteſtationis ac propoſiti actus frequenter iteret: & quod omnium ferè præcipuum, ut magnum iſtud veræ converſionis donum à Deo, quantum oportet, precibus efflagitet: & dicam paucis omnia, ut ea ſedulò peragat, quibus ſe abſolutione dignum reddat & ſe dignum eſſe Confeſſario probet.

§. XI.

Refelluntur reſponſa Authoris ad Argumentum quintum Methodi.

ARgumentum quintum hoc eſt: ſi conſuetudine depravati in hujus vitæ decurſu plerumque converterentur ſubitò quidni & ſub vitæ finem? Atqui SS. Patres uno fermè omnium ſuffagio in hanc ſententiam eunt: *Pœnitentia ſera rarò vera,*

 ergò

Reſponſ. brevis pag. 69. ergò &c. Magna, inquis, eſt diſparitas inter conſuetudinarium in extremis confitentem, & eundem dum ſanus eſt: & addis, faciliùs credam, quod doloris ſigna, quæ edit dum ſanus eſt, ex corde veniant, quàm quando eſt in periculo mortis.

Reſpondeo multa eſſe ſub finem vitæ, quæ impedimenta converſionis diminuunt, & illam magìs promovent. Quis enim concionatorum tam penetrabiliter & diſertè peccatori ob oculos ponet acerbiſsimum formidoloſæ mortis horrorem? Quis tam vivaciter depinget tremendum illud inflexibilis judicis tribunal, ubi jam jam de tota æternitate agetur? Quis ita fraudulentam rerum creatarum inanitatem deſcribet? Quis tam aptè comparationem inſtituet inter præteriti temporis fugacitatem & futurorum æternitatem? Quis hæc univerſa tam accuratè, quis tam dilucidè exhibebit, quàm res ipſæ ſeſe exhibent morienti? Quibus omnibus accedit, quòd in modicum vitæ tempus, quod ſupereſt moribundis, faciliùs renuntietur peccatis, quàm in totius vitæ ſpatium, quod ab homine ſano ſperatur futurum longius. Et tamen etſi hæc omnia promoveant converſionem in moribundis,

SS.PP. non de conſuetudinariis ſolùm, ſed de omnibus generatim peccatoribus dicere non dubitarunt *pœnitentia ſera, raro vera.*

Hoc tu cum illis dicis; dico & ego; quare etiam tecum admitto, in fine vitæ adeſſe aliquam compulſionem ad pœnitentiam. Suſpecta, inquis, tibi eſt pœnitentia illa ſera: & mihi quoque ſuſpecta eſt. Unde impensè opto, ut idipſum pro circumſtantiarum opportunitate hominibus frequenter voce & ſcripto inculcaremus; quo fieret ut non paſſim ita loqueremur de peccatoribus jam defunctis, quaſi ideò res illorum foret ſecura, quia ſub vitæ finem confeſſi ſunt, atque viatico refecti. Conſolandis, inquiunt, mortuorum amicis ſervit, ſi ita loquamur: Fateor, at non minùs ſervit ad ingenerandum ſceleratis hominibus, aut ſalutis ſuæ ſaltem incuriis fiduciam admodum noxiam, quâ præſumant, modò in fine vitæ etiam ipſi poſſint confiteri & communicare, rem ſuam ſat fore tutam.

Lubens igitur tibi conceſſerim quòd pœnitentia ſera admodùm ſuſpecta ſit; multa ſanè ſunt (ut tecum loquar) quæ illam ſuſpectiſſimam reddunt: at tu mihi nunc viciſſim concedas, plura eſſe quæ in

decurſu vitæ ſubitam illam conſuetudinariorum converſionem magis ſuſpectam reddant: etenim hic abſunt, quæ in moribundis converſionem ſingulariter promovent. Omitto quod multi illorum conſuetudinariorum, qui ſine notabili mutatione vitæ prævia in decurſu vitæ abſolvuntur, putent ſibi ſat diſplicere peccatum, dum diſplicet ſolummodo ejus effectus, ut ſunt pœna, incommoda &c. putant etiam frequenter velleitatem abdicandi peccatum ſibi ſufficere: vel falsò exiſtimant ſatis eſſe, ut peccatis mortiferis in tempus quoddam renuntient: vel ut aliquibus tantum peccatis mortalibus etſi non omnibus. Hæc, inquam, omitto ut ad illos veniam, qui ſe exiſtimant officio hominis Chriſtiani ſatisfacere alternando confeſſiones & relapſus; ad illos item quos ad confitendum nil adigit niſi annuæ confeſſionis obligatio, vel timor ſuperiores offendendi, aut amor famam integram ſervandi. Nonnè ſcis inter illos conſuetudinarios, qui in decurſu vitæ ſæpiùs confitentur, reperiri quoſdam, qui ita ad Sacramentum Pœnitentiæ accedunt, ac ſi totam illius eſſentiam putarent conſiſtere in confeſſione, & abſolutione?

Videt

Videt itaque Rev. Veſtra, quot quantiſque titulis ſubita illa conſuetudinariorum converſio debeat longè magis eſſe ſuſpecta in decurſu vitæ, quàm illorum ſub vitæ finem, de quibus pronuntiant Patres: *Pœnitentia ſera, raro vera.*

Pergis interim & ex Auguſtino in confirmationem aſſertionis tuæ adducis ſequentia: Sanctus Pater Auguſtinus, inquis, relatus capite *ſi quis* 33. q. 3. de pœnit. diſt. 7. cap. 2. ſi quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam & accipit, & mox reconciliatur & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus quod benè huic erit: ſi ſecurus hinc exierit, ego neſcio: pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem autem dare non poſſumus. Numquid dico damnabitur? Sed non dico liberabitur: vis ergo à dubio liberari? Vis quod incertum eſt evadere? Age pœnitentiam, dum ſanus es: ſi ſic agis, dico tibi quod ſecutus es, quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo & peccare potuiſti. Si autem vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Quid ad hæc me reſponſurum putas?

Reſponſ. brevis pag. 71.

An

An fortè æſtimas, me ab Auguſtino diſſenſurum? Nequaquam ſed à Rev. Veſtra: dico igitur cum S. Auguſtino de iis, qui in decurſu vitæ pœnitentiam agunt, quòd ſecuri ſint: loquebatur autem Aug. de pœnitentiâ tanto tempore continuatâ qualis ante abſolutionem ipſius tempore agi ſolebat, dum Canones pœnitentiales inſignem illum obtinebant rigorem. Quia tales tempore S. Aug. erant propter pœnitentiam ſecuri, audetnè quiſquam inferre quòd conſuetudinarii, qui tamen judicantur jam abſolvendi, ſint ſecuri propter *ſing ultum* aut vocem *doleo*?

Præterea quæ ſpecies argumenti, quod Pag. 71. facis dum ais: moribundis pœnitentibus quantumcumque conſuetudinariis & relapſis neganda non eſt abſolutio non obſtante, quòd ipſorum converſio ſit tam ſuſpecta, ergo, ut ais, multò minùs erit ſanis deneganda, eò quòd ipſorum converſio multò minùs ſit ſuſpecta. Inſigne profectò argumentum. Non urgebo jam, quod falsò ſupponas converſionem in fine vitæ magìs eſſe ſuſpectam, quàm illorum conſuetudinariorum in decurſu vitæ, quos tu pœnitentium loco habes: aſt de conſequentia loquor, cujus imbecillitatem

tatem tibi oſtendo in hoc ſimili: moribundo negandus non eſt Baptiſmus etiamſi liquor valde ſit ſuſpectus an ſit aqua, ergo multò minùs erit ſano denegandus, dum liquor iterum eſt valdè ſuſpectus, an ſit aqua: hoc, inquam, argumentum poſtremum argumento à te confecto ſimillimum eſt. Pernegatur itaque tua illa nequidem apparens conſequentia; non enim idcircò præcisè conſuetudinarios ſanos ſine prævia mutatione vitæ ordinariè abſolvendos nego, quia illorum converſio eſt magìs ſuſpecta, ſed quia hoc eſt, & ſimul abeſt neceſſitas. Quare etiam non ideò præcisè ejuſmodi cenſeo abſolvendos dum ſunt moribundi, quòd horum converſio ſit minùs ſuſpecta, ſed quia ſimul in his poſterioribus reperitur illa neceſſitas.

Hâc itaque in parte SS. Patres nos ſequi oportet, qui longè faciliores fuerunt, ut reconciliationem ſeu abſolutionem moribundis, quàm ut ſanis impertirent.

Habemus ſingulare hujus rei documentum à Clero Romano. Erat hic Clerus diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſervantiſſimus: " Quid enim, inquit, magìs aut ,, in pace tam aptum, aut in bellis perſe- ,, cutionis tam neceſſarium, quàm debi- *Epiſt. 31. apud Cyprian.*

tam

„ tam ſeveritatem divini vigoris tenere?
„ Quam qui remiſerit, inſtabili rerum
„ curſu erret ſemper neceſſe eſt... Abſit
„ enim ab Eccleſia Romana vigorem
„ ſuum tam profanâ facilitate dimittere,
„ & nervos ſeveritatis everſâ fidei maje-
„ ſtate diſſolvere, ut cum adhuc non tan-
„ tùm jaceant, ſed & cadant everſorum
„ fratrum ruinæ, properata nimis remedia
„ communicationum, utique non profutura
„ præſtentur, & nova per miſericordiam
„ falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis
„ vulneribus imprimantur, ut miſeris ad
„ everſionem majorem eripiatur & pœ-
nitentia"... Poſt hæc ſtatuit idem Cle-
rus à S. Cypriano ſuper lapſorum recon-
ciliatione conſultus in hæc verba: " Ut
„ interim dum Epiſcopus dari à Deo no-
„ bis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui
„ moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa
teneatur". Et manifeſtum diſcrimen po-
nens inter hos & moribundos addit:
" Eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem
„ urgens exitus dilationem non poteſt
„ ferre.... ita demum cautè & ſollicitè
ſubveniri &c". Ut latiùs §. 8.

Hæc eo fine allegantur, ut oſtendam Clerum Romanum cum ſuâ Synodo vi-

cinorum

cinorum Epiſcoporum longè aliter ſentire de reconciliatione moribundorum, & illorum qui ſani ſunt. Videat proinde Rev. Veſtra, an invalidum iſtud argumentum, quod in me torquet: conſuetudinarii in fine vitæ ſunt abſolvendi ſine præviâ mutatione vitæ, ergo etiam dum ſani ſunt. Videat, inquam, an illud argumentum non æquè obtineat contra Clerum Romanum, & omnes illos SS. Patres, qui ad moribundos abſolvendos longè faciliores fuerunt, quàm ut reconciliarent ſanos. Vide etiam S. Aug. cap. ult. lib. 1. de adulterinis conjugiis.

§. XI.

Redarguuntur reſponſa Authoris ad argumenta à ſimilitudine petita, & unà oſtenditur, quantum hic Author imperitus ſit in materia de Gratiâ.

IN argumento 6. Tract. I. quæſt. 4. in Methodo producta ſunt argumenta varii generis univerſim deſumpta ab iis, quæ in profanis factitantur quotidie. Ut verò hæc argumenta rectiùs à legente percipiantur,

antur, illum præmonitum velim, non eò ſine ibi allegata eſſe, ac ſi quælibet ſigillatim ſimilitudo intentum meum accuratè probaret; ſed ut ſimul omnia aliam de converſione conſuetudinariorum imprimant ideam, quàm vulgò de illâ haberi ſoleat.

Præstereà quæ illic à me dicuntur, juxta naturam ſimilitudinum intelligenda ſunt; id eſt, ita intellecta oportet, ut nil obſtet, quod in illis aliquid diſſimilitudinis comperiatur: habet enim tritum iſtud dictum, & verè ſic eſt: *Omnis ſimilitudo claudicat.*

Similitudinum prima erat à Rege, cujus Vaſallus ſingulis menſibus arcem, cui Præfectus erat, prodidit. Alteram deſumpſi à Domino quopiam, cujus famulus in hebdomadas ſingulas ſemel, aut iterum ab eo rem notabilem furatur. Tertia petita fuit ab illo, cui quolibet menſe inſignis alapa à famulo impingitur. Quarta fuit de hero, qui ſeptimanis ſingulis per famuli ſui ebrietatem notabile patitur detrimentum. Poſtremò ſimilitudinem deſumpſi à marito, qui quâlibet ſeptimanâ afficitur injuriâ ab adulterante toties uxore.

His

His enarratis petii, quid Rex cenſurus foret de ejuſmodi Præfecto, ſe toties converſum dicente? Quid Domini de illis famulis toties interim relabentibus? Et denique quid de tali uxore maritus? Crederentnè illi aut illorum aliquis perſonas præfatas toties verè & ritè fuiſſe converſas? Id eſt, crederentnè, quòd perſonæ iſtæ toties propoſuerint abſolutè & firmiter in æternum, & nullâ umquam occaſione commiſſa flagitia reiterare? Hic erat ſimilitudinum ſcopus, hic nodus, quem Rev. Veſtra non ſolvit, ſed eludit potiùs, vel fugit.

Audiamus reſponſum: non miſceamus, inquis, ſacra profanis. Inſigne profectò reſponſum. Quid hoc ad rem? Eſtnè iſtud argumentum ſolvere? Imbecille iſtud, non miſceamus ſacra profanis, nonnè ipſemet Chriſto Domino & toti Euangelio objicere poteris? Ecquis prætereà SS. Patrum, qui ſi hoc eſt miſcere ſacra profanis, non ſexcenties à te arguendus foret? Errat quoque Rev. Veſtra, dum hiſce in ſimilitudinibus putat me comparationem inſtituere inter remiſſionem, quæ homini facienda eſt ab homine, & eam quæ homini fit à Deo. *Reſponſ. brevis pag. 77.*

Non

Non hoc volo, ſed ſcopus eſt oſtendere, quòd nemo ſibi perſuaſurus ſit illos, de quibus in ſimilitudinibus actum eſt, toties eſſe converſos ideò, quia toties veniam petunt, quòdque non debeat Confeſſarius ob ejuſmodi dicta etiam credere, quòd eædem illæ perſonæ toties ſint conuerſæ. Sicut extra confeſſionem priùs non poteſt credi, ita nequaquam video, quomodo Confeſſarius credere poſſit, quòd mulier quæ ſingulis ſeptimanis totó anno adulteratur, & ſingulis itidem ſeptimanis confitetur, toties abſolutè & firmiter propoſuerit in æternum, & nullâ umquam occaſione ampliùs adulterari: quomodò, inquam, quòd adhuc minùs credibile eſt, ſibi perſuadebit, illam proponere nullum ampliùs peccatum mortale cujuſcumque ſpeciei, facto, verbo, aut etiam ſola voluntate committere.

Si hæc & ſimilia ego non credam, vocas me portentum diffidentiæ. Putarem ego, ſi hæc credas, unuſquiſque juſtiori titulo Rev. Veſtram portentum credulitatis compellaverit.

Deus, inquis, equidem eſt magis miſericors quàm homines. Non dubito quin infinitè

infinitè magìs: ſed quid hoc ad rem? Nemini equidem Deus peccata remittit, niſi ritè, & prout oportet diſpoſito. Hic verò non poteſt maritus prudenter judicare, quòd uxor ſua ſingulis ſeptimanis integro anno adulterans, ſingulis quoque ſeptimanis, toties ſit verè converſa, quia toties veniam poſcit; & hinc infero, quòd Confeſſarius hoc etiam non debeat, imò nec poſſit judicare de iſta muliere ſingulis ſeptimanis id ſibi confitente. Si reponat Rev. Veſtra, ſe id credere: ſanè ego non crediderim hoc te credere: quin addo, quòd credere te ſupponas potiùs, & falsò tibi perſuadeas te credere, quòd reverà non credis.

Inter hæc mihi incidit: ſi fieri poteſt, ut Rev. Veſtra ſibi perſuadeat, ſe credere toties adulterantem mulierem, toties eſſe converſam (quòd tamen certiſſimè non credit) non admodum mirum videri debet, ſi confitentes ſibi quoque perſuadeant, ſe emendationem abſolutè, & firmiter atque in æternum proponere; etſi certum ſit, quòd nihil illorum reverà proponant. Hæc tamen non eſt præcipua cauſa deceptionis conſuetudinariorum circa ſuam ipſorum

 con-

converſionem; at potiùs quinque illæ, quæ in Methodo allegantur hoc titulo: *Cauſa deceptionis conſuetudinariorum circa ſuam ipſorum converſionem.*

Tract. 1 *quæſt.* 4

pag. 79. & 80.

Miror ergo Rev. Veſtram adeò admirari, quòd in exemplum adduxerim maritum uxoris adulterantis, & dicit, quòd ego ſibi videar parùm Chriſtianè loqui, dum hujuſmodi maritum dementiæ noto, ſi uxori ſæpiùs, aut in ſeptimanas ſingulas relabenti ignoſceret. Non capis, quod dictum eſt: dementiæ notandum dixi, ſi toties credat eſſe converſam. Attende, FRANCISCE CAROLE, dictum fuit: ſi toties credat eſſe converſam: hoc aliud eſt, quàm tu opinaris, ſi toties ipſi ignoſcat. Intellexiſti? Non dico, dementiæ notandum, ſi toties illi ignoſcat, ſed ſi toties credat eſſe converſam. Procul dubio debet ipſi toties in animo ignoſcere, & Chriſtiane illam diligere: nam à præcepto dilectionis ne quidem illo momento excuſatur, quo etiam certiſſimè novit, eam animo meditari nova adulteria. Necdum vides? Intuere hanc ſimilitudinem: dum alapam quis alicui impingit, ex animo ipſi ignoſcere debet etiam illo momento, quo videt, ſentitque eam im-

impingi: nec tamen propterea credere poteſt, quòd alapa ſibi non impingatur; niſi fortè hîc tecum ſibi perſuadeat, ſe credere quod non credit.

Ad ſimilitudines de Dominis reſpectu famulorum; hoc tuum reſponſum eſt: non crederem famulo toties emendam hero pollicenti: nec ego. Et pergis: ſed crederem illi hoc toties Deo pollicenti: at non ego. Audiamus rationem tuam: Ratio mea eſt, inquis, quia primum eſt effectus timoris humani; qui ex natura ſua infidelis eſt. Infidelis eſt; inquis, timor humanus. An hic infidelior affectu illorum, quos tu pœnitentium loco habes, etſi quotidie, quin & ſæpiùs uno die, idque in annos plures crimina graviſſima reiterent? Procedis ad alterum membrum de iis, qui Deo toties pollicentur: at ſecundum, inquis, eſt effectus timoris Dei, qui procedit à Gratia. *Reſponſ. brevis pag. 78.* *Reſponſ. brevis pag. 78.*

Examinemus pauliſper iſtud reſponſum. Vis tota conſiſtit in eo: converſio famuli ad Dominum fieri poteſt per vires naturæ; ad converſionem verò ejuſdem ad Deum inſuper requiritur Gratia, ergo credendum potiùs de hâc, quòd longè promptiùs habeatur, quàm de iſta.

Oppoſitum, ni fallor, inferendum fuiſſet: id ſaltem intuliſſet Auguſtinus, qui non dubitanter de Gratia Divina pro-
Aug epiſt. 107 nuntiat: *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari... Scimus gratiam Dei, quibus non datur, juſto judicio Dei non dari.*

At longè aliter ſentis de divina gratia, quàm magnus ille gratiæ Doctor. Dicis
Pag. 161 namque Deum gratiam ſuam ſemper offerre peccatoribus, quodque ipſos continuè VOCET & INVITET ad pœnitentiam. Quod ea, quæ de gratia dicis, non de externa ſolum; verùm de internâ intellecta velis, certiſſimum eſt, nec ipſe negaturus es. Aſt quomodo talia aſſerendo diſcrepat R. V. ab iis, contra quos S. Proſper?

Carmin. de ingr. cap. 10.

„ Gratia, quâ Chriſti populus ſumus, hoc cohibetur,
„ Limite vobiſcum, & formam hanc adſcribitis illi:
„ Ut cunctos VOCET illa quidem, INVITETQUE: nec ullum
„ Præteriens ſtudeat communem adferre ſalutem
„ Omnibus, & totum peccato abſolvere mundum:

Sed

„ Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
„ Judicioque ſuo, motâ ſe extendere mente
„ Ad lucem oblatam, quæ ſe non ſubtrahit ulli;

Sic quidem *opinati* fuerunt ingrati Maſſilienſes: Rev. Veſtra verò illud non ut *opinionem* dumtaxàt, verùm etiam ut *fidei articulum* nobis obtrudere non veretur. Neque enim Rev. Veſtræ ſuffecit dicere: *Deus offert gratiam veræ pœnitentiæ omnibus peccatoribus*, ſed addis, *eſt de fide*. Tuonè igitur judicio illic fidei articulum aſſeruerunt ingrati? Judicatnè, Rev. Veſtra, quod fidei articulum oppugnaverit S. Proſper? Dum ait; *Reſponſ. brevis. pag. 163.*

„ Jam quia ſummatim, ut potuit ſententia veſtra *Carm. de ingratis cap. 11.*
„ Decurſa eſt: dic, unde probes, quod gratia Chriſti.
„ Nullum omninò hominem de cunctis, qui generantur.
„ Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
„ Impertire velit?

 Adhuc

Adhucnè quod aſſeruit Reverentia Veſtra, fidei articulus eſt? Quomodò hic conſiſtit cum præfatis Auguſtini ſententiis? *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari... Scimus gratiam Dei, quibus non datur, juſto Dei judicio non dari*: plus equidem de tua ſinceritate mihi perſuaſum eſt, quàm ut credam, umquam à R. Veſtra pronuntiatum iri, quod vel Auguſtinus vel Proſper illîc hæreſim aſſeruerit.

Dic proindè, quomodo de fide ſeu fidei articulus eſt, quòd Deus offerat gratiam veræ pœnitentiæ omnibus peccatoribus? An non poterat aliter, quàm iſtud aſſerendo impugnari Methodus? Quid? Neque hoc admiſſo Methodus expugnaretur: hoc ipſum forſan vidiſti, atque idcircò ad ulteriora progrederis, ut videre eſt §. 1. hujus Apologiæ punct. 7. ubi oſtenſum fuit: Quòd eum in modum loquaris de facilitate & promptitudine, quàm habent peccatores ad veram converſionem, ac ſi omnibus adeſſet ſemper gratia plenè & proximè ad veram converſionem ſufficiens. Ex quo, fateor, conſectaneum eſt, quod nemini umquam pro converſione ſua orandum ſit:
De nat & grat. cap. 18 Nam, ut ait. S. Auguſtinus, " *Quid ſtultius*,

„*tius, quàm orare, ut facias, quòd in poteſtate habeas*"? Et alibi: *Si in poteſtatę haberetur, non utique poſceretur*". *Epiſt.* 105.

Neque Deus, ut tua fert opinio, hortatur ad impoſſibile, etiamſi gratia illa veræ converſionis non omnibus adſit, ſed ". jubendo monet facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis". Sed tu aliter ſentis, & ſic loqueris, ut velis nolis, admittere cogaris, quòd nullus umquam peccator in decurſu vitæ pro gratia converſionis Deum orare debeat: quod quàm ſit ab Euangelio, à SS. Patribus atque omni Chriſtianorum pietate alienum, tibi expendendum relinquo. Ecce quo tandem venire debueris, ut praxim tuam ſtabilias, & Methodi doctrinam impugnes. *Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap* 11.

§. XIII.

Oſtenditur, quòd non ſint tam pauci, ut Author dicit, qui doceant abſolutionem ſæpè & præſertim conſuetudinariis eſſe differendam.

COmmemorat Eccleſia de S. CAROLO in illius officio, quòd "in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, inſigni *IV. Novemb.*

„ inſigni pietatis ac virtutum ſplendore „ præluxit; quòdque Mediolanenſis Ar„ chiepiſcopus creatus, in eo plurimam „ operam adhibuit, ut juxta Sacroſan„ ctum Trid. Conc. (quòd ejus potiſſi„ mum ſolicitudine jam fuerat abſolu„ tum) Eccleſiam ſibi commiſſam compo„ neret; atque ut depravatos plebis „ ſuæ mores reformaret. Præter itera„ tam ſæpiùs Synodorum celebrationem, „ ſe ipſum eximiæ ſanctitatis præbuit exemplar".

Triplex hîc offertur argumentum, quo conficiatur, quòd doctrina ſeu praxis S. Caroli non ipſum ſolummodò Authorem habuerit, id eſt, non ſit ab ipſo adinventa, aut contra Eccleſiæ doctrinam, vel Concil. Trid. ſanctionem fabricata.

Primum quidem eſt: Carolus tàm dignitatis & officii, quàm virtutis ſplendore omnibus Romæ ſatis innoteſcebat: non poterat igitur fieri, ut doctrina illius non innoteſceret, aut collegas Cardinales lateret: huic verò, ſi nova fuiſſet aut inſolens, praxique Eccleſiæ adverſa, illicò reclamatum fuiſſet.

Secundum eſt: ex officio Eccleſiæ habetur,

betur, quod plurimam in eo operam adhibuerit S. Carolus, ut juxta Concil. Trident. ſibi commiſſam Eccleſiam componeret, & depravatos mores reformaret: ex quo patet, quod de animo & doctrinâ Patrum, qui illi Concilio interfuerunt, ſatis Carolo conſtiterit, utpote cujus ſolicitudine Conc. illud fuit abſolutum.

Tertium eſt: S. Carolus doctrinam illam nequaquam commentus eſt aut effinxit, ſed maximâ ſollicitudine tàm è diverſis Regularium Ordinibus, quàm de Clero Theologos in conſilium frequentiſſimè adſcivit, ut hanc praxim reſtauraret: ſex enim ob eundem hunc finem Synodos celebravit. Si quis igitur rectè calculum poſuerit, non paucos numerabit, quos hæc praxis habuit Approbatores.

Neque ſolius Mediolanenſium Archi-diœceſeos, aut Italiæ finibus concluſa fuit hæc S. Caroli praxis: verùm & Galliæ Epiſcopi in ſolemni iſto Cleri Gallicani Conventu hanc praxim ſequendam judicarunt Anno 1655.

In epiſt. prefixa Decreto S. Caroli.

„ Præter, illam, inquiunt, doctrinæ „ moralis pravitatem, quæ facilè, niſi

 provi-

„ provideatur, Chriſtianorum mentibus illabetur, non mediocri nos afficit „ dolore perniciosa quorumdam Con„ feſſariorum in concedendâ promiſcuè „ pœnitentibus abſolutione facilitas, „ quam illi falſis pietatis coloribus prætexunt; quaſi hoc modo illos à peccato paulatim averterent, & à deſperatione ac religionis contemptu retraherent.

Cæterùm, quis bonus Angelus (ut verbis tuis utar) tibi revelavit, quid in Hiſpaniâ, quid in Germania, & alibi fiat in tam occulto Confeſſariorum tribunali? Neque enim Confeſſarii, divulgant illos, quibus abſolutionem diſtulerint; neque adeò ad honorem pœnitentium facit, ut illam ſibi dilatam manifeſtent.

Unde precor, & quo argumento praxim hanc præfatis in locis non comperiri aſſeveras? Nonne, eodem, quo id de Gallia aſſeruiſti? Scilicet, latebat te, quid in conventu Gallicano Præſules ſtatuerant. Credas mihi: hunc in modum plurima tum in Hiſpaniæ, tum in Germaniæ tribunalibus Confeſſariorum modò peraguntur, & multis retrò ſæculis

acta fuerunt, quæ Rev. Veſtram lateant; potiſſimùm ubi ſcriptores ea libris non committunt. Quis enim tam irreligiosè ſentiat de Hiſpaniarum Confeſſariis, ut omninò evanuiſſe putet zelum illum, quô ferebantur illi Præſules, qui Conc. Toletano III. interfuerunt? Zelum illorum notari audiſti his verbis: " Comperimus per quaſdam Hiſpaniarum
" Eccleſias, non ſecùndùm Canones,
" ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines
" agere pœnitentiam, ut quoties peccare
" libuerit, toties à Præsbyteris ſe reconciliari
" expoſtulent: ideoque pro
" coërcenda tam execrabili præſumptione,
" id à S. Concilio jubetur &c".
Ut ſuprà. Supereſt etiam, uti exiſtimo, in Germania zelus ille Cardinalis Gropperi, quem hodie in ſcriptis ejus legimus.

Dices forſan, me non rectè reſponſionem tuam intellexiſſe, dum omnes illarum partium Confeſſarios dictis tuis comprehenſos volui: quia Religioſi ſaltem, inquies, praxi illâ non ſunt uſi. Id pernego, & contrarium conſtat ex iis, qui S. Carolo à conſiliis fuerunt: quin & poſſem quorumdam Religioſo-

rum,

rum, ſi opus foret, huic praxi hodie inſiſtentium teſtimonia adducere. Sed ampliùs probabit teſtimonium R. P. Emr, de Bonis è Soc. Jesu in Tract. quem de SS. Sacram. Altaris An. 1595. Romæ cum Superiorum permiſſu & approbatione edidit. Verba ſunt è cap. 19. deprompta, & ſic Latino ſermone reddita:
" Utiliſſimum contra recidivas, & mul-
„ tis experimentis confirmatum reme-
„ dium eſt, *ſuſpendere & differre abſolutio-*
„ *nem peccatoribus*, ut parum pœnitentiæ,
„ ad minùs faciant, antequam accedant
„ ad ſacram Communionem. Quia ali-
„ quis confitebitur infinita flagitia, &
„ peccata horrenda, qui eo in ſtatu volet
„ poſtridie, aut poſtea communicare;
„ quod nequaquam permittendum eſt,
„ quia homo conſuetudini & peccandi
„ habitudini profundè immerſus, non
„ poteſt reſipiſcere abſque magna vio-
„ lentia, neque poteſt ſine magnis co-
„ natibus ad veram compunctionem,
„ diſplicentiam, & ſinceram de peccatis,
„ quæ admiſit, dolorem ſe diſponere.
„ Quemadmodum arbor ingens non ex-
„ ciditur, aut dejicitur unico ictu; ne-
„ que vas liquore fœculento imbutum,
unicâ

„ unicâ aquæ ablutiunculâ ingratum o-
„ dorem deperdit; ſed opus eſt, ut diu
„ in cineribus, & acri lixivio ebulliat:
„ eumdem in modum cum hujus farinæ
„ hominibus agendum eſt. Ducendi ſunt
„ per varia pœnitentiæ exercitia, qui-
„ bus pertingant ad notitiam, dolórem
„ & veram peccatorum ſuorum dete-
„ ſtationem; & *hæc praxis* in illis
„ non ſervatur illicò ad vomitum ſuum
„ revertuntur. Complures Confeſſarii
„ *Religioſi*, & prudentes teſtantur, quod
„ peccatores INNUMERI (dicas iterum, *Reſponſ.*
quia numerari non poſſunt) „ verè *brevis*
„ converſi ſint, & infelicem, quam ha- *pag. 9.*
„ bebant peccandi conſuetudinem deſe-
„ rentes, magno cum ſolatio, & non
„ mediocri in ſpiritualibus progreſſu, caſti-
„ tati ſeſe dederint, quia uſurpata fuerat
„ circa ipſos tam *ſancta praxis*, *differendo*
„ *illis abſolutionem*, adſtringendo illos ut
„ redirent frequenter ad Confeſſarios,
„ ad reddendam illis rationem vitæ ſuæ,
„ & injungendo ipſis intereà faciendam
„ aliquam pœnitentiam. Verum quidem
„ eſt, quod ſub initium, moleſtiam ipſis
„ peperit & faſtidium, dum viderent ſe
„ *tam frequenter ſine abſolutione dimitti*, & ob-
liga-

„ ligari ad graves & aſperas pœnitentias;
„ experti verò poſteà fructum & magnam hujus praxeos utilitatem, ingenti cum ſatisfactione & gaudio ad Confeſſarios ſuos reverſi ſunt; & maximoperè ſeſe obligatos arbitrantes, de eo modo, quo uſi fuerant, gratias illis egerunt; candidè fatentes, quòd *vitam mutaturi nunquam fuiſſent*, niſi hoc modo ſecum fuiſſet actum. Nullum eſt dubium, quin æger, dum chyrurgus premit ulcus, magnoperè doleat; ſed gratias illi agit, rependitque liberaliter, ubi ſe ſanitati reſtitutum deprehendit".

Vides in Italia ſuperſtites fuiſſe, qui ad exemplum flagrantiſſimi iſtius zeli, quem in Clero Romano ſupra notavimus, propiùs certè accedunt quam Rev. Veſtra.

Jam, credo, vides, quòd non pauci ſolummodò Lovanienſes aut Belgæ in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando abſolutionem frequenter differendam eſſe cenſuerint. Ignoſci quidem tibi poterat, quod hæc aut ſimilia à Confeſſariis jam pridem facta ignorares; at quomodo illa, quæ tam altè & toties inclamas de

de pauculis Lovanienſibus, aut quibuſdam Belgis conſiſtunt cum iis, quæ alibi habes; ne tamen, ex eo quod dixi vos novitatis Authores, hujus opuſculi Lector verè eos nova dicere credat, & non potiùs antiquatos errores, & refutatos dudum renovare; eum rogo, inquis, ut brevem libellum R. P. Ives Capucini, cui titulus: *la miſericorde de Dieu en la conduite de l'homme* ante annos triginta editum (addo ego: atque à totidem annis refutatum) nunc recenter reimpreſſum, dignetur percurrere. *Reſponſ. brevis Pag. 188.*

Quomodo, inquam, hæc tua aſſertio conſiſtit cum veritate, quandoquidem liber ille à P. Ives impugnatus, Authorem habeat D. Arnaldum Doctorem Sorbonicum, qui neque Lovanienſis eſt, neque Belga? Habuit tamen liber ipſius de frequenti communione Approbatores Epiſcopos ſexdecim, & præter hos univerſam Auſcenſem Synodum, cui undecim interfuerunt Epiſcopi: probaruntque hujus libri doctrinam Doctores plùs minùs viginti. Sanè rem tuam hîc reddis intricatiſſimam; undè non facilè te extricabis hoc modo: doctrina Methodi refutata eſt, ut ais, dum P. Ives refuta-

vit librum D. Arnaldi; tuo igitur judicio doctrina Methodi in illius libro continetur. Velis nolis itaque, mihi concedere debes quòd omnes, quotquot doctrinam D. Arnaldi approbârunt, doctrinam quoque methodi comprobarint.

Quo igitur veritatis colore aſſeris doctrinam Methodi eſſe paucorum Lovanienſium dumtaxat aut Belgarum, ſi illam in D. Arnaldo extra Belgium, tot Doctores ſuffragiis ſuis approbarint, & quod potiſſimum eſt, tot Epiſcopi, & ingens procul dubio in illorum cujuſlibet Diœceſi Paſtorum numerus amplexi fuerunt? Tune doctrinam à tot tantiſque viris approbatam antiquatos errores appellabis? Sed quid mirum? Cùm doctrinam tuam de gratia SS. Auguſtino & Proſpero prorsùs contrariam auſis dicere, de fide eſſe. Deſines jam, ſpero, praxim tuam, quam §. 15. hujus Apologiæ deſcribemus, poſthac vocare communem Eccleſiæ praxim.

Abſit profectò, abſit quàm longiſſimè ab Eccleſia, ut conſuetudinarios etiam perverſiſſimos non præviâ mutatione vitæ mox abſolvendos cenſeat. Abſit, ut non majorem in iſtis diſpoſitionem requirat,

requirat, quam ut proferant voculam *doleo*, aut poſt fervida Confeſſarii eloquia *ſingultiant*. Neque idcircò rectè hanc vocaveris praxim Eccleſiæ, quia R. Veſtra, & quotquot alii doctrinæ tuæ ſunt fautores, ſic practicant, aut practicandum judicant. Credo enim non pauciores fuiſſe, qui velut Theologiæ principia habuerint: practicè eſſe certum; quidquid eſt ſpeculativè probabile: item probabile eſſe, quod unus altervè Author, quem ipſi pium æſtimant & doctum, aſſerüerit.

Quamquam tam multi ita de probabilitatibus docuerint, & longè plures iſta practicarint; nemo tamen tantam irrogabit Eccleſiæ injuriam, ut dixerit haſce ſententias, earumque praxim fuiſſe ipſius Eccleſiæ. Præſertim ſi ſuprà citatum Alexandri VII. proëmium ad propoſitiones damnatas expenderit, & obſervarit quanta ſententiarum portenta admiſſis hiſce principiis inferri poſſint.

Viderit proindè R. Veſtra, quo titulo ſuam illam praxim potiùs audeat Eccleſiæ adſcribere, quàm nunc dictam de probabilibus doctrinam.

Alia hiſce ſimilia allegare poſſem, quæ etiamſi à non paucis, imò fortè à pluribus

in praxim fuerint deducta, nequeunt tamen vocari, vel Eccleſiæ doctrina, vel illius praxis. Ex gr. admodum commune eſt, pueros ad primam tonſuram, aut ad Confirmationis Sacramentum deſtinare ſine debitâ præparatione: deindè tam officia, quàm beneficia quæcumque conferre minùs dignis, poſt-poſitis dignioribus, &c. neque tamen iſta vocari poſſunt praxis Eccleſiæ: imò atrocem admodum injuriam illi irrogarit, qui iſtam praxim Eccleſiæ auſit adſcribere. Quare R. Veſtram rogo, ut maturè expendat, an potiori jure praxim ſuam poſſit Eccleſiæ adſcribere.

Ex quo in reſponſione tua vidi, tamquam articulum fidei nobis obtrudi illam ingratorum ſententiam, cui Auguſtinus & Proſper ſe tam ſtrenuè oppoſuerunt, non adeò admirandum ampliùs cenſeo, quòd praxim tuam, ut Eccleſiæ praxim deprædices.

§. XIV.

§. XIV.

Referuntur, atque ita Refelluntur quædam minutiora.

FAcilè crediderim, quàm plurimos reperiri iſtius animi, ut eos citò tædeat legere illa; quæ alium non habent uſum, quàm ut oſtendant hoc illudve ab Adverſario minùs rectè eſſe aſſertum. Quod enim ex talium librorum ſcriptorumque lectione diſcunt, hoc ſolum eſt, quòd adverſarium erraſſe, vel minùs rectè quidpiam dixiſſe deprehendant: hoc verò quàm parum ſatisfacit animo verè ſcientiæ cupido? Quapropter ne citra neceſſitatem talibus lectorem fatigem, exopto (ſi ita quoque Rev. Veſtræ viſum fuerit) ut de minutioribus iſtis, quæ adhuc ſuperſunt, per amicas litteras inter nos agere liceat.

Inter minutiora ferè minutiſſimum eſt quod duæ mulieres ob dilatam ſibi abſolutionem iratæ fuerint & conqueſtæ. Ubi te manifeſtâris, examinabitur an non magìs horrenda ſint *peccata illa graviſſima, &* *Reſponſ. brevis pag. 6.*

 abuſus

abuſus iſti intolerabiles, quorum cauſam eſſe incurios Confeſſarios, & S. CAROLUS docet, & quotidiè experiuntur Confeſſarii, qui doctrinam illius ſequuntur. Satiùs ego duxerim, privatis colloquiis vel litteris committere horrenda illa, quæ pœnitentium plurimi imputant illi praxi, quam defendendam ſuſcepiſti.

Reſponſ. brevis pag. 22. Dictiones illas S. CAROLI: *Abſolutionem differat: abſolutio differatur: nec eos abſolvat: abſolutionis beneficium extrahat*: conſilium tantùm dicis importare, aut congruitatem. At per litteras inquiram, quo jure id dicas? Credideram ego, illa imperium importare, & imponere neceſſitatem ſubditis, dum ab eorum ſuperioribus proferuntur; quemadmodùm hic fit, nam CAROLUS ſcripſit ad ſuos ſubditos.

De exemplo, quòd è Chronicis Fratrum Minorum producis de Domino cujuſdam Caſtri, viro, ut ais, peſſimæ vitæ, quâdam veſperâ ſubitò confiteri volente: de hoc, inquam, exemplo multa mihi petenda ſunt, ubi te manifeſtâris.

Tum quoque diſcutietur, utrum dirigere animas aſpirantes ad vitam devotam, cuivis hominum ſtatui communem, non

ſit facilius, quàm peccatorem conſuetis criminibus intricatum perducere ad illam vitæ novitatem, quam Chriſti diſcipulatus & Euangelium exigit. Si proindè S. SALESIUS ad priorem illam functionem, quæ facilior eſt, voluerit eligi unum è decem millibus, examinabitur an mirum videri debeat, quod ego ad poſteriorem functionem, quæ difficilior eſt, eligendum eſſe dixerim virum ſpectata prudentiâ, & è multis unum. *Method. Tract. I. quæſt. 4. dub. 4.*

Inſuper inquirendum erit, an qui inter Advocatos admodum peritos, cenſet pro ſe temporali eligendum eſſe peritiſſimum, propterea judicet reliquos omnes eſſe imperitos? Siquidem dictum meum de Confeſſarii delectu, ſic interpretaris, quaſi omnes illos, quos pœnitens non eligit, cenſerem incapaces: neque enim tibi, ut credo, perſuades, S. SALESIUM ſentire, quod è decem millibus tantum unus ſit capax, ut animam dirigat ad vitam devotam: Ad illam dico vitam, ad quam milites, aurigas, ancillas, famulos, & quodlibet hominum genus in ſua Introductione invitat.

Poterit quoque inquiri, an objectioni quam inſtituis de latrone & Publicano *Reſponſ. brevis pag. 50.*

Method. Tract. I. quæſt. 4. dubium 4 arg. 2. ſubitò converſis, ut de Davide, non ſat reſponſum ſit, dum tales converſiones miracula potiùs, quàm exempla eſſe diximus.

Multus es in eo, ut Confeſſarios avoces ab injungendis magnis pœnitentiis; expendetur, quid iſtud faciat ad rem noſtram, & an cum Tridentino non rectiùs loquereris, dicendo: "Debent Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere: ne, ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur". *Seſſ. 14. cap. 8.*

Perſuadere moliris, quod Confeſſarius non teneatur à pœnitente primò aut rarò ad ſe veniente petere, an ſit conſuetudinarius; quodque pœnitens non teneatur ad hoc reſpondere. Si te manifeſtâris, petam, quomodò igitur Confeſſarius poſſit fungi officio Medici ſpiritualis? Id eſt, quomodò ſciet, quæ & quanta ſit peccatorum radix, quæ medicamenta ſpiritualia præſcribenda; quomodò ſciet, an hoc illudve ſit occaſio peccati, præſertim ubi de *Reſponſ. brevis pag. 90.*

occa-

occaſione per accidens agitur, nam forte ſexcenties mortaliter peccavit tali occaſione, etſi ab ultimâ confeſſione tantùm ſemel peccaſſet. Quo modo ergò judicare poterit, an aliquid hujuſmodi ſit reſcindendum titulo occaſionis per accidens?

Cum Tridentino indubitatum habet Methodus, "quod venialia, quibus à gratiâ Dei non excludimur, & in quæ frequenter labimur, rectè & utiliter citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur": quibus ex SACCESIO adjicit Methodus: "Habe ſemper veram diſplicentiam de peccatis, quæ confiteberis, quantumvis parva ſint, cum firma reſolutione deinceps emendandi te".... "Abuſus eſt confiteri aliquod peccatum cujuſcumque generis ſit, ſive mortale ſive veniale, abſquè eo quod velit ſe ab eo purgare". Ex quibus deduxi, abſolutionem poſcere manente dubio, num illa doloris propoſitivè defectu valida futura ſit, procul dubio eſſe improbandum. Si cenſeas licitum eſſe in Sacramentis uti materiâ verè dubiâ citrà neceſſitatem, ſententiam iſtam vel errorem potiùs (ubi te manifeſtâris) latiùs examinabimus; atque eâdem operâ oſten-

Seſſ. 14. cap. 5.

Tract. 1 queſt. 4. objeɛt 6.

dam me nullo modo improbaſſe, quod Religioſi frequentes confeſſiones inſtituant: imò ſi toties diſpoſiti ſint, uti fuerunt Sancti quidam, etiam probandum, ut confiteantur ſingulis diebus, ſicut & Sancti illi. Cæterum de venialibus valdè obiter locuta eſt Methodus, quia tota eſt in eo, ut oſtendat, quomodo agendum cum conſuetudinariis in mortalibus: & quomodo peccatorum mortalium occaſiones ſint reſecandæ.

Reſponſ. brevis pag. 130 Placet mihi, quod è Conc. Moguntino adfers " quantô diutiùs converſio „ ſuſpenditur, tantô graviori tandem labore peragitur ". Sed quæram, quâ ſpecie conſequentiæ, ex eo quòd conſuetudinarii non debeant differre converſionem, inferas non differendam ipſis abſolutionem: quaſi verò converſio & abſolutio forent eadem.

Subſcribo ritualibus & S. CAROLO, quatenus aſſerunt utile eſſe conſuetudinariis ſæpè confiteri, quin addo, utiliſſimum conſuetudinariis eſſe, uti & recidivis confiteri quàm citiſſimè. Hic rurſus inquirendum, quid ex illis contra Methodum concludatur, niſi fortè eadem tibi ſint confiteri & abſolvi.

Admitto

Admitto rurſum, ſi juſta deſit neceſſitas, non eſſe abſolvendos, qui non adferunt diſpoſitionem niſi verè dubiam: imò adjungo, non minori cum fundamento id dici, quàm quod aiunt omnes Theologi de abſolutione non ferenda ſuper peccatis tantùm dubiis. Sed quid indè? Dicam iterùm cum S. CAROLO: differendam eſſe abſolutionem " iis qui „ tametſi dicant ac polliceantur, quod „ ſe eximent peccato, Confeſſario pro„ babilem faciunt metum, ne contrarium contingat".

Ubi R. Veſtra mihi innotuerit, diſquirendum erit, an cum fundamento quiſpiam ſuſpicari poſſit, quòd doctrinæ S. CAROLI obſtet ſigillum Confeſſionis. Hoc enim mihi objicis, quando dubiè diſpoſitis differendam abſolutionem dixi extra neceſſitatem. *Reſponſ. brevis pag. 136.*

Optaret R. V. mecum Conferentias inter Eccleſiaſticos inſtitui, ſi fierent inquit, ad exemplum S. SALESII: at quæ modo fiunt, tamquam conventicula arguis, diciſque natas eſſe excitare incommoda. Non deſpero equidem, quin ubi perſonam veſtram noverim, hanc ſuſpicionem diluere potero. Quotquot *Reſponſ. brevis pag. 157*

 enim

enim ego hujuſmodi interfui collationibus (interfui autem plurimis etiam cum Regularibus) nihil umquam illic propoſitum fuit aut concluſum, quod ulli mortalium poſſet eſſe offendiculo.

Reſponſ. brevis pag. 161. Dicis, quod Deus gratiam veræ pœnitentiæ frequenter neget in extremis: id tecum prorſus admitto. Verùm habeo, quod petam; quo pacto cum hiſce conſiſtit, quod aſſertum à te alibi: *Reſponſ. brevis pag. 163* indubiè omnibus gratiam illam offert, aliàs hortatur ad impoſſibile: putaſne forſan, quòd Deus vel non hortetur peccatores illos ad pœnitentiam in extremis, vel hortetur ad impoſſibile? De his in Pag. 12. actum fuit pluribus: nec-non in Præfat. Apologetica Tractatui tertio præfixâ.

Reſponſ. brevis pag. 150 Sæpè exaggeras difficultatem praxis à Methodo deſcriptæ, adeò quidem ut reputare videaris fermè impoſſibilem. Poſſem hic dicere: non quia difficilia ſunt, multa non audemus; ſed quia non audemus, difficilia ſunt. Præterea quæ comparatio inter illa quæ Methodus exigit ante abſolutionem à conſuetudinariis; & quæ pro unico adulterio & fornicatione ante abſolutionem olim exegerunt Canones? Neque tamen Canones

exege-

exegerunt quid impoſſibile. Et denique quid de S. Carolo & reliquis, qui praxim illius ſecuti fuerunt?

De ſponſis pravâ libidinis conſuetudine intricatis dixi, quod ante abſolutionem, & per conſequens antè Matrimonium ineundum debeant per vitæ mutationem probare ſe converſos. Hæc doctrina, inquis, apertè contradicit Apoſtolo, qui ait: *ſi ſe non continent, nubant:* Putaſnè, quod Apoſtolus velit, ut ſine ulla mora & illicò ejuſmodi libidinoſi conjungantur Matrimonio? Quid ergo cenſes de proclamationibus, quæ tribus diebus feſtivis faciendæ ſunt priùs, quàm Matrimonium contrahatur? *Reſponſ. brevis pag. 105.* *Concil. Trident. ſeſſ. 25.*

Hæc & quædam alia, quæ ne quidem hîc commemoratu digna cenſeo, ut ex. gr. quod agmen ſiſtere in ſenſu planè contrario acceperis: quod dicas me non habere practicam: quod R. Veſtra dicat, me aſſumpſiſſe patrocinium aliquorum, qui non bono zelo ducuntur, &c. poſtea poterimus Deo dante fuſiùs diſcutere, dummodo perſonam tuam manifeſtaveris. Quid enim opus his aut ſimilibus minutiis typos terere, aut Lectorem fatigare?

§. XV.

§. XV.

Antitheſis inter doctrinam S. CAROLI, *& doctrinam Authoris reſponſionis brevis.*

Parte 2. Inſtruct. Paſtor. cap. 15

S. CAROLUS habet: *Differatur adhuc abſolutio, donec videatur aliqua emendatio, illis, qui quantumvis dicant, & promittant relinquere peccata; nihilominùs Confeſſarius judicat probabiliter illos peccata non relicturos.*

I. Docet hîc S. CAROLUS, abſolutionem illis differendam, *donec videatur aliqua emendatio.*

Author Reſponſionis brevis totus eſt in eo, ut ſcripto ſuo perſuadeat, quod abſolutio nunquam debeat propterea differri: quia, putat, vitæ emendatio non debet præceſſiſſe abſolutionem.

II. Docet hîc S. CAROLUS illis differendam abſolutionem *quantumvis dicant, & promittant relinquere peccata, ſi nihilominùs Confeſſarius &c.*

Author Reſponſionis brevis dicit in-
Pag. 138 definitè & generatim pœnitenti *contra ſe & pro ſe loquenti in hoc foro credendum eſt.*

Et

Et alibi: *Debet ei credere tam pro ſe, quàm contra ſe loquenti: quia in hoc tribunali pœnitens eſt ſimul reus, actor & teſtis.* Pag. 178

III. In ante-citato textu docet S. CAROLUS differendam abſolutionem illis, dum Confeſſarius *judicat, probabiliter illos peccata non relicturos.*

Author Reſponſionis brevis vult pœnitenti pro ſe loquenti credi, *niſi contrarium moraliter certò conſtet.* Et alibi: *non ſufficit, quòd Confeſſarius habeat formidinem de malâ diſpoſitione pœnitentis, ſed debet habere moralem certitudinem*; ut nimirùm ſuſpendat abſolutionem. Pag. 177 Pag. 127

In alio textu ejuſdem capitis Sanctus CAROLUS loquitur in hæc verba: *Idem faciendum cum iis (ſcilicet ut differatur abſolutio) qui cùm multos annos in peccatis ſuis perdurant, nullâ interim adhibitâ operâ in emendationem vitæ, in eadem peccata iterùm atque iterùm labuntur.*

Author verò Reſponſionis brevis totum ſcriptum ſuum eo dirigit, ut oſtendat, quod neque recidivis, neque conſuetudinariis propter relapſum aut conſuetudinem umquam differenda ſit abſolutio. Quare etiam non veretur dicere, quod pœnitens de conſuetudine à Con-

feſſario interrogatus non teneatur reſ-pondere. Patet quoque ex iis, quæ parag. 1. punct. 2. retulimus, quod perverſiſſimi etiam conſuetudinarii judicio hujus Authoris poſſint abſolvi propter vocem *doleo*, aut quia *ſingultiunt*. Præterea vide §. 8. hujus Apologiæ, quomodo hic Author vel admittat, vel principiis ſuis inſiſtendo admittere debeat, quod ſepties in die adulterantem oporteret ſepties eos eodem die abſolvere.

Parte 2. Inſtruct. Paſtor. cap. 15. & 16. S. CAROLUS alibi dicit: *Deindè nec eos abſolvat, qui cum peccatis mortalibus etiam eorum occaſiones vitare planè non proponunt... ſub occaſionem*, inquit, *peccati mortalis omne illud cadit, quod ejuſmodi eſt, quod vel per ſe in peccatum inducat, vel ejus occaſione confitens uſque adeò ad peccandum allicitur, ut certè confeſſarius metuere poſſit, quod ex perverſo, quem diu induit habitu, impoſterum non magis abſtinebit, quàm priùs à peccato, ſi in iiſdem occaſionibus verſetur.*

Primò docet hic S. CAROLUS, eos non eſſe abſolvendos *qui cum peccatis mortalibus ſimul etiam vitare planè non proponunt eorum occaſiones, quæ per ſe in peccatum inducunt.*

Reſponſ. brevis pag. 25. Author Reſponſionis brevis ex Bonacina docere nititur: *Filium familias, qui*

de

de domo patris non expellit concubinam, vel aliam cùm quâ peccare ſolet, poſſe abſolvi, modò habeat firmum propoſitum non peccandi ampliùs in futurum, & non ampliùs ſolum cum ſolâ verſandi. Et cum Navarro obtrudit: *Quod poſſint abſolvi ſine ſeparatione cognatæ, ancillæ, ac famulæ, quæ rem habuerunt cum ſuis conſanguineis, dominis, vel heris, in quorum domo degunt, concurrentibus quatuor prædictis (ſcilicet conditionibus) quarum quarta eſt cauſa notabilis, ob quam ſine magno incommodo hoſpitium negari non poteſt. Eſt tamen quæſtio notabilis: an poterunt abſolvi prædictæ iterum abſque ſeparatione, ſi reciderint, & videtur nobis poſſe concurrentibus prædictis quatuor, & idem dicendum reor, de tertia & quarta vice; quia non ſolum ſemel aut ſepties, ſed etiam ſeptuageſies ſepties eſt parcendum.* Hæc Author iſte ex Bonacina & Navarro. *Reſponſ. brevis pag. 96.*

Eodem textu ſuperiùs citato docet S. Carolus, eos non eſſe abſolvendos, *Qui cum peccatis mortalibus vitare planè non proponunt etiam eorum occaſiones quibus confitens uſque adeò ad peccandum allicitur, ut certè Confeſſarius metuere poſſit, quod ex perverſo, quem diu induit habitu, impoſterum non magis abſtinebit, quàm priùs à peccato, ſi in eiſdem occaſionibus verſetur.*

Author

Reſponſ. brevis pag. 26 Author Reſponſionis brevis iterum ex Bonacinâ docet : *Illum artificem, qui in omni confeſſione accuſat ſe de fraudibus & mendaciis commiſſis in arte, quam exercet, & quam non poteſt abſque notabili incommodo ſui, vel familiæ deſerere, poſſe abſolvi, modo eliciat dolorem de peccatis præteritis cum firmo propoſito non committendi ampliùs cum Dei auxilio ejuſmodi peccata, & modò habeat aliquam cauſam rationabilem non dimittendi artem illam.*

Parte 2. Inſtruct. Paſtor. cap. 16. Docet prætereà S. CAROLUS in alio textu : *ſi pœnitentem iis aut ſimilibus impedimentis irretitum eſſe perſpexerit, ipſaq; occaſio talis ſit, quæ tum etiam re ipſa exiſtat, veluti quod concubinam alit, vel quid ejuſmodi; Confeſſarius eum abſolvere non debet,* NISI PRIUS *illam ipſam occaſionem prorsùs abſcindat.*

Reſponſ. brevis pag. 24 Author Reſponſionis brevis ſubjungit illis ipſis verbis, ut ſequitur : *annotavi illa debere intelligi ſic, quod actualis occaſio tunc ſit priùs deſerenda, quàm abſolvatur pœnitens, quando illa ipſa, quamdiù manet, arguit in confitente actualem peccandi voluntatem.*

Parte 2. Inſtruct. Paſtor. cap. 17 In alio rurſus textu dicit S. CAROLUS *qui quidem* (Confeſſarium intelligit) *hominem eo modo conſtitutum abſolvere non debet, ſi exiſtimet ad eadem peccata rediturum, quamdiù*

diu in antiquâ occaſione (opificio ſuo videlicet vel exercitatione) perſeverat ; ſed æquum eſt, ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis intervallum expectetur.

Quantum Author reſponſionis brevis ab hac S. CAROLI doctrina deflectat, plùs ſatis colligitur ex ſuperioribus, quibus cum Bonacina & Navarro adſtruit non ſolummodò artificem (dum ars ſua vel opificium illi manet peccandi occaſio) poſſe abſolvi : verùm & eos abſolvi poſſe ; qui perdùrant in occaſionibus *per ſe* ſupra allegatis.

Subnectit ſupradictis S. CAROLUS : *atqui hic vigilandum eſt eò diligentiùs, quò manifeſtum eſt, hac in parte Confeſſarios incuriâ ſuâ maximam præbere cauſam, cur in omnibus ferè opificiis & exercitationibus publicis peccata graviſſima inveniantur, & abuſus intolerabiles :* è diametro in hiſce Author opponitur S. CAROLO.

Sanctus CAROLUS illic adſcribit *peccata graviſſima & abuſus intolerabiles* incuriæ Confeſſariorum, dum abſolvunt manentes in opificio vel exercitatione, quæ ipſis ſunt occaſio peccati mortalis.

Author verò ſubſcribens Navarro, ejuſmodi Confeſſarios (ſi non deterio-

Reſponſ. brevis pag. 94. res) etiam ſanctos compellat : *rectè faciunt*, ait, *multi ſancti Confeſſarii, abſolvendo multos adoleſcentes, qui verſantur inter mulieres emendo, vendendo, laborando, & converſando abſque cohabitatione illarum in eadem domo, licet non ſtatuant abſtinere ſe perpetuò ab occaſione peccandi, quam id ipſis præbet; quamvis ſæpiùs peccent voluntate, verbis aut tactibus impudicis, & etiam copula: quia occaſio, quæ ex hoc præbetur ad peccandum, non eſt ex ſe peccatum mortiferum, neque ejuſmodi, ut ferè ſemper faciat peccare mortaliter eos, qui eâ utuntur.*

EPILOGUS.

TE ipſum, Lector, judicem ſtatuo, utrùm vel apparens ſit, quòd hic Author de præſenti controverſia ſenſerit cum S. CAROLO, cui tam apertè, tot locis & in doctrinis tanti momenti contradicit.

Rurſus te judicem compello, ut viſis hinc ſaluberrimis S. CAROLI inſtructionibus; inde principiis hujus Authoris, æquam ſententiam pronunties: num ſcilicet, ſi cujuſlibet pœnitentis animam eô locô haberes, ac ſi tua foret, in die judicii malles eam fuiſſe directam ſecundùm principia S. CAROLI, an verò juxta regulas hujus Authoris.

Ut verò Methodum à me conſcriptam comparare queas cum Reſponſione ad illam: in compendio tibi regulas Methodi exhibebo, non pro-ut fortè æſtimares ſpeciosè à me propoſitas, ſed ſicut ab ipſomet adverſario collectæ ſunt. Quænam, inquit, mihi ſecuritas erit adhærentibus doctrinæ veſtræ, cui primæ *Reſponſ. brevis pag. 101.* regulæ loco ſunt hæc falſa, vel ad minus

de falſitate ſummopere ſuſpecta principia? & pergit enumerando iſta principia Methodi: *Voluntas abſoluta & firma peccatis mortiferis renuntiandi, idq; in perpetuum non ſolet repente evaneſcere.* Item *quod inter vitam conſuetis in peccatis traductam, & impertiendam abſolutionem ſufficiens morum mutatio intercedere debeat.* Item *quò conſuetudinarii longius à verâ converſione abſunt, eò plura exigenda ſunt, quibus ſe verè converſos probent.* Item *ex conſuetudine peccantes converti ſubitò non aſſolent.*

Hæccine falſa ſunt, aut de falſitate ſummoperè ſuſpecta? Hæccinè præcipua ſunt, ob quæ Methodus improbanda foret? Credo equidem, ſi alia reperiſſet ſuo judicio magis improbanda, illa non omiſiſſet. Habes hîc, ex quibus ſtatuas, Lector, num vel in uno Methodi doctrinam Author Reſponſionis brevis exauthorârit.

Ut non tantùm de doctrinâ, verùm & de ſcribendi occaſione judices. Hæc fuit: movit me exemplum Ampliſſ. D. Vicarii Archi-diœceſis Mechlinienſis, qui tria ſæpius dicta capita è S. Carolo deſumpta, Confeſſariis ſuis propoſuit. Ipſe Vicarius ad hoc motus fuit exemplo

S. Ca-

S. CAROLI: hic verò procul dubio authoritate S. Scripturæ, quæ habet: *Quod ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccinâ, & populus ſe non cuſtodierit, veneritq́ gladius & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram.* *Ezech. 3.*

FINIS.



Cenſura

Cenſura Ordinarii

HÆc *Apologia* Methodum remittendi & retinendi peccata *fortiter tuetur contra omnes Objectiones in unum collectas in Libello, cui Titulus* Reſponſio brevis, *quas omnes doctè & nervosè diſſolvit : digna eapropter, quæ publicetur. Dabam Mechliniæ* 20. *Novemb.* 1674.

LAURENTIUS NEESEN
Canonicus Theologalis
Lib. Cenſor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE